



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.


Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

INITIA
PHILOSOPHIAE
PRACTICAE
PRIMAE
ACROAMATICE
SCRIPSIT
ALEXANDER GOTTLIEB
BAVMGARTEN
PROFESSOR PHILOSOPHIAE.



MALAE MAGDEBURGICAE, 1760.
IMPENSIS CAROL. HERM. HEMMERDE.

INITIA
PHILOSOPHIAE
PRACTICAE
PRIMAE
ACROAMATICE
SCRIPSIT
ALEXANDER GOTTLIEB
BAVMGARTEN
PROFESSOR PHILOSOPHIAE.



MALAE MAGDEBURGICAE, 1760.
IMPENSIS CAROL. HERM. HEMMERDE.

PRAEFATIO.

ea ratione demonstrare, qua verum in eadem assequi quam proxime speraueram. Primarius in proximis operaे finis tunc erat, ut essent, quibus in iuribus naturae tradendis, ut philosophum decet, daretur inniti. Quum imposta mihi dura necessitas esset alio loco, quam in quo viuebam, scripta prelis committendi: praeuisae suboriebantur remorae. Sequebatur morbus, occupationes magis praesentes, denuo morbus, qui si non ultimus, tamen eius fuit indolis plures per annos, ut ordinarium vitae publicae studiorumque cursum, qua patet ex demandata mihi docendi prouincia, penitus interuertere saepissime minaretur. Accedebant ad malum satis grande propiores sensim, propioresque strepitus armorum, hanc tandem urbem bellico terrore circumtonantes, quo vel athletice pancraticeque valentes languescebant. Non Hannibal ad portas tantum, sed intra moenia, intra aedes recipiendus hostis fuit plus vice simplici caede ciuium adhuc cruentus. Mala belli quae sequuntur quis nescit? Quibus omnibus non tan-

PRAEFATIO.

tangi, non commoueri, non labefactari Stoicorum esto, non est philosophi. Mihi satis opimus est triumphus, dum inter haec omnia, sera quidem, et nutans nonnihil ac vacillans iterum iterumque, quanta tamen obeundis officiis sufficiat, valetudo corporis

*Respexit tandem et longa post tempore
venit,*

Redeunt paullatim exhausti vires corpusculi, non redit animus agendi, quae mea sunt, quoniam hunc nunquam amiseram, reuiuiscit tamen, et spe non amplius irriterum omnino contuum suscitatur. Inter singulares, quas Deo fospitatori me debere gratias libere profiteor, reuersus sum ad acroases antiqua fide continuandas, quantum licet per latera; reuertor ad interrupta, quae pendebant, opuscula. Dum ad has primas philosophiae practicae lineas redeo, video iam in iisdem pleraque contineri, quae volebam prae nosse iuriū rationis et naturae studiosum ante, quam ad ipsam iuris veram

PRAEFATIO.

non fucatam philosophiam accedat ad-
discendam. Interim nos in ea depre-
hendo reseruatos tempora, in quibus
parta tueri curandum philosophis pri-
us sit, quam plura quaerere. Suffici-
ant igitur haec *initia philosophiae practi-
cae primae*, quae dudum scripta nunc
demum prodeunt, quia vel his probe
perspectis de satis solida iurium natu-
ralium impetranda scientia minime de-
sperandum esse iudico. Quibus iam
haec videantur superflua, per me licet
his abundare suo sensu, modo mihi ius,
quae velim, quaeque sentiam, corda-
to more dicendi liberum conseruetur.
Ex eodem ita censeo. Logicis regulis
conuictum de forma demonstrationis,
logicis exercitiis probe cultum ingenii
demum et hanc philosophiam practica-
rum primam ad iuris philosophici sci-
entiam adspiret. In his hospes crepare
ius naturae, iactare ius gentium pot-
est, scire non potest. Ignorare haec
omnia, simulque ridere, quasi re be-
ne gesta, facillimum est. Nos autem
philosophiae scientiam professi duca-
mus,

PRAEFATIO.

mus, qui sequi voluerint, quo usque
licet procedere, modo caueamus, ne,
si qui citra fracta magis appetunt, dum
ea colligunt, eosdem suam fecisse sci-
entiam ipsis falso persuadentes in tur-
pissimo mortalium genere deprehenda-
mur, eorum scilicet, qui fumum ven-
duunt. Dabam Traiecti cis Viadrum III.
Non Mart. cl^olo CCLX.

Synopsis.

Prolegomena philosophiae practicae

Prolegomena philosophiae practicæ primæ

Tractatio

I) Obligatio C. I.

1) in genere S. I.

2) coactio S. II.

II) Obligantia

1) lex S. I.

2) iurisperitia S. II.

3) iuris principia S. III.

4) legislator S. IIII.

5) praemia S. V.

6) poenae S. VI.

7) imputatio

A) generatim

a) facti

1) in genere S. VII.

2) in specie de

a) auctore S. VIII.

b) gradibus imputabilitatis S. IX.

b) legis

1) in genere S. X.

2) in specie de

a) foro S. XI.

b) foro externo S. XII.

B) speciatim de conscientia S. XIII.



Numeri páraphorum, quibus M. preeponitur,
referuntur ad auctoris metaphysica.

PROLEGOMENA PHILOSOPHIAE PRACTICAE.

§. f.



Quemadmodum PHILOSOPHIA est scientia qualitatum in rebus sine fide cognoscendarum: ita PRACTICA est scientia obligationum hominis sine fide cognoscendarum.

§. 2.

Philosophia practica est apodictica methodo ex principiis non nisi certis, non ex testimoniis, auctoritatibus vel diuinis, vel humanis, historiis deducenda. §. 1.

2 PROLEGOMENA PHILOS. PRACT.

§. 3.

Philosophia practica 1) theoriam obligationum nostrarum multis modis perficiens
2) cognitione eiusmodi praxin et exsequitionem earundem faciliorem reddens 3)
theologiae morali, iuribus positivis, et consilio particularibus foecunda principia, no-
tionesque directrices suppeditans, erit ad-
modum utilis. M. §. 337. 787.

§. 4.

Vbertas et copia, dignitas et maiestas,
veritas, exactitudo, bonaque methodus,
§. 2. perspicuitas et distinctio, certitudo et
evidentia, vita denique et vis mouendi sunt
principes in praerogatiis philosophiae
practicae §. 1. M. 669.

§. 5.

Angustiae et exilitas, humilitas et leui-
tas, perceptiones deceptrices et crassae
cum tumultuari, obscuritas et confusio,
incertitudo superficiariorum et ineviden-
tia, maxime tandem inertia et sterilis spe-
culatio sunt defectus philosophiae practi-
cae §. 4. M. §. 82.

PRO-

PROLEGOM. PHIL. PRACT. VNIUERS. 3

PROLEGOMENA
PHILOSOPHIAE PRACTICAЕ
VNIUERSALIS.

§. 6.

PHILOSOPHIA PRACTICA (vniuersalis) PRIMA est scientia prima reliquis disciplinis practicis propria, sed harum pluribus communia principia continens.

§. 7.

Vti metaphysica se habet ad reliquas disciplinas omnes, sic philosophia practica prima ad reliquias disciplinas practicas
§. 6. M. §. 1.

§. 8.

De philosophia practica prima valent etiam dicta §. 1-5. §. 6. quumque principia principiatis praeponat apodictica methodus, haec reliquis disciplinis practicis, scientiisque moralibus cum ratione praemittitur, §. 6, 2.

§. 9.

Philosophia practica prima praeter usum cum philosophia §. 1 et philosophia practica communes §. 3, 8. 1) omnium disciplinarum practicarum, theologiae, iuris utriusque, tam vniuersalis, quam particularis, consiliorum et aequitatis utriusque respondentium auget evidentiam in notionibus,

2) primas cuiusuis propositiones curatius determinat, et vterius euoluit, 3) probatum et adscensum vteriorem et inde certitudinem promouet. §. 7. M. §. 3.

CAPUT. I.

OBLIGATIO.

SECTIO I.

OBLIGATIO IN GENERE.

§. 10.

Moraliter necessaria quum sint morali-
ter possibilia, M. §. 723, 81, haec au-
tem determinationes liberae, quae non ca-
dunt, nisi in substantiam liberam, M. §. 719.
S. PERSONAM, OBLIGATIO vel tribuitur deter-
minationibus liberis, vel personis, quae
necessitantur, M. §. 723, vel obliganti, vel
obligatae. Hinc est vel ACTIUA, vel PAS-
SIUA.

§. II.

Obligatio non potest esse, ubi non est
libertas, ergo hanc non tollit, nec eius est
oppositum, sed rationatum et consepta-
rium. §. 10. Actiones, ad quas obligare
et obligari possumus, non posunt solum
esse liberae, sed sunt etiam tales necessa-
rio. M. §. 724. Quaecunque ergo determi-
natio-

nationes non sunt liberae, ad eas nec obligare, nec obligari possumus. Absolute impossibilia, M. §. 15. et simpliciter supra nostram potestatem posita non sunt libera, M. §. 719, 712. Ergo absolute et physice simpliciter impossibilium nulla est obligatio, nec actiua, nec passiuæ §. 10. M. §. 469.

§. 12.

Obligans determinationem liberam reddit moraliter necessariam, ergo eius oppositum moraliter impossibile §. 10. Oppositum autem liberae determinationis est liberum ratione exsequutionis, M. §. 726. et liberum ratione exsequutionis tamdiu magis est moraliter possibile, quam suum oppositum, quamdiu in hoc vel nullus, vel minor fertur lubitus, M. §. 723, 719. aequae autem est moraliter vel possibile, vel impossibile, ac oppositum eius, si supponatur aequalis in illud et hoc ferri lubitus. M. §. 673. Ergo si oppositum illius, ad quod obligare velis, reddendum est moraliter impossibile, excitandus est maior in determinationem liberam, ad quam obligare velis, lubitus. CAUSSÆ IMPULSIUAE in liberam determinationem et eius oppositum, si connumerentur utrumque M. §. 697. illi, cui plures sunt, POTIORES adscribuntur. Excitaturo maiorem lubitum in aliquam determinationem liberam, quam in oppositum eius, cum ista causæ impulsuæ

siuae potiores connectendae sunt. M. §. 712, 342. Ergo obligans cum libera determinatione causas impulsuas potiores connectit.

§. 13.

Causas impulsuas potiores cum aliqua libera determinatione connectens eius oppositum reddit moraliter impossibile, §. 12, ergo hanc determinationem liberam moraliter necessariam, adeoque ad eam obligat, M. §. 723.

§. 14.

Qui obligatur, cum eius determinatione aliqua libera causae impulsuae potiores connectuntur §. 12, 10. Cuius cum determinationibus liberis causae impulsuae connectuntur potiores, ille obligatur, §. 13, 10.

§. 15.

OBLIGATIO tam actiua §. 12, 13, quam passiva, §. 14. potest definiri per connexionem, vel actiuam, vel passiuam causarum impulsuarum potiorum cum libera determinatione.

§. 16.

Causae impulsuae potiores vim et efficaciam obligandi habent §. 15, nunc fortiorum, nunc debiliorem, M. §. 75, 723. Vnde ipsa OBLIGATIO maior FORTIOR, minor DEBILIOR dicitur.

§. 17.

§. 17.

Obligatio minima, s. maxime débilis esset vnicae minimae causae impulsuac potioris connexio cum determinatione libera vnica minima, §. 15. M. 16j. Hinc quo plures, quo maiores, adeoque quo verius, quo clarius, quo certius, quo ardentius cognitae, M. §. 669. vincunt elateres ad oppositum, quo pluribus, quo maioribus liberis determinationibus, quo arctius connectuntur, hoc maior, hoc fortior erit **obligatio, causarumque impulsuarum vis et efficacia obligandi** §. 16.

§. 18.

Causae impulsuac quum sint perceptio-nes variarum rerum, M. §. 341, 342. qua-rum quaedam in hac, quaedam in alia dis-ciplina soleant considerari, a qua nomen saepe ferunt, et cum sua obligatione com-municant: hinc obligationes materialiter diuiduntur et denominantur pro diuersitate rerum, quas causae earum impulsuac fistunt, et disciplinarum, in quibus hac solent tractari, §. 15.

§. 19.

Causae impulsuac omnes et singulae cum data libera determinatiōne connexae sunt, sūnt CAVSSA IMPVLSIVA TOTALIS, huius partes sunt CAVSSAE IMPVLSIVAE PARTIALES. Prioris OBLIGATIO TOTALIS est, harum PARTIALIS. Causae impulsuac

partiales, immo totalis etiam, nisi potiores fuerint, obligationem nullam pariunt.
§. 15, 12,

§. 20.

Si plures sint causae impulsuac partiales ad liberam determinationem, A, quam ad eius oppositum, non-A; ad hoc autem tam graues, ut facta connumeratione causa impulsua ad non-A totalis sit potior, M. §. 697. ad A nulla est obligatio. §. 19.

§. 21.

Si causa impulsua quaedam cum data libera determinatione sic connectitur, quae et sicut antea connexa non erat, ORITVR NOVA (inducitur) OBLIGATIO; Si causa impulsuac, quae et sicut antea connexa erat cum aliqua libera determinatione, sic non amplius connectitur, INTERIT (tollitur, soluitur, extinguitur, cessat) OBLIGATIO. Aucta CRESCIT (confirmatur) minuta DECRESCIT (debilitatur, infirmatur, intermititur). Siue totalis, siue partialis, si sublata denuo inducitur, REVIVISCIT.

§. 22.

Crescente obligatione totali noua oritur partialis, decrescente obligatione totali partialis tollitur, §. 21, 19. ACTVS, quo inducitur obligatio est OBLIGATORIVS, quo sit, ad quod obligati eramus, SATISFACIT OBLIGATIONI.

§. 23.

§. 23.

Causarum impulsuarum ad opposita quam diu nondum facta est connumeratio numerationem ponderationemque supponens M. §. 697, nunc causa impulsua totalis ad vnum, nunc causa impulsua totalis ad alterum potest videri potior, et hinc obligationes ad utrumque collidentes, §. 15. M. §. 97. Facta autem connumeratione si patet, quaenam causarum impulsuarum totalium ad opposita sit potior, tunc ad oppositum huic nulla est obligatio, §. 19, 20. et disparet obligationum collisio. Vnde verae obligationes nunquam inter se colliduntur, §. 15. M. §. 12. Causae tamen impulsuae totales ad utrumque oppositorum dum videntur obligationes, ambae si dicantur collidi, vera obligatio maior vocatur §. 17,

§. 24.

1) Vbi non sunt liberae determinaciones, ergo vbi non sunt personae obligandae §. 10. 2) vbi non sunt causae impulsuae, 3) vbi sunt, sed non potiores, 4) vbi et hae sunt, sed non connexae cum liberis determinationibus, ibi non est obligatio. §. 15.

§. 25.

Obligationem vel nouam inducere, vel veterem confirmare requirit, 1) liberam determinationem vel omnino nouam, vel

intendendae saltim nobilitatis, ad quam obliges. M. §. 166. 2) causas impulsuas, vel omnino nouas, aut multiplicatas, aut nobiliores, aut veriores, aut clariores, aut certiores, aut ardenteriores, breuiter maiores, quam quae ante fuerant. 3) potiores, vel suo incremento, vel decremento causarum impulsuarum ad oppositum, has vel nunc primum superantes, vel magis excedentes, quam antea. 4) causas impulsuas datas cum liberis determinationibus datis vel primo, vel magis concretere i. e. perfectius ostendere nexum et consequiam, cur positis his causis impulsuas ponenda sit haec libera determinatio. §. 17. 21. En! officia generalia doctoris philosophiae practicae. §. 1.

§. 26.

Quo quis plurium, quo nobiliorum determinationum liberarum, quo perfectoris cognitionis de causis impulsuis, earumque numeris et ponderibus, et nexus cum liberis determinationibus capax est, hoc melius obligari potest. §. 25. 17. Hinc metire studiosos philosophiae practicae.

§. 1.

§. 27.

Si 1) videantur determinationes liberae, ad quas obliges, quae non sunt, 2) causae impulsuas, quae non sunt, 3) saltim potiores, quae non sunt, 4) saltim sic et

in

in tantum connexae cum libera determinazione quadam, vti et in quantum cum illa non sunt connexae, nascitur OBLIGATIO FALSA (erronea, apparenſ, ficta, ſpuria) §. 24. Ergo posſumus ad ea, ad quae vere obligamur, obligari ſimul falſo, et v. v. Posſumus ex veris falſo obligari.

§. 28.

CERTITVDO latius dicta vel eſt COMPLETA (ſtricte et rigorofe dicta, mathematica, geometrica) ad veritatem rei ab omnibus diſtinguendam ſufficiens, (ab omni formidine oppoſiti liberans) vel INCOMPLETA, ad veritatem rei ab omnibus aliis diſtinguendam non ſufficiens, (non ſine formidine oppoſiti) M. §. 531. INCERTITVDO LATIUS DICTA eſt oppoſitum certitudinis completae. In incerto latius dicto, aut plures ſunt cognitae rationes ad veritatem ſ. poñendum aliquid i. e. ASSENSVM, quam ad idem tollendum, et eſt PROBABILE, aut rationes pro et contra aequales ſunt, et eſt DVBIVM (incertum ſtricte dictum) aut pauciores ſunt rationes pro, quam contra asſensum, et eſt IMPROBABILE. Rationes ad asſensum plures, pauciores et aequales diſcuntur non niſi poſt connumerationem M. §. 697. Potest idem diuerso respectu latius certum et incertum dici. Rigorofe certum eidem ſubiecto nulla ratione incertum eſt. Incerta latius dicta et dubia neu-

tiquam

tiquam coextenduntur, s. quicquid non est complete nobis certum, de eo non statim dubitare licet. Probabilitas et quae- vel quantacunque verisimilitudo neutri- quam coextenduntur, s. aliqualiter aliquantulumque verisimile non statim est probabile. Nonnulla verisimilitudo pot- est etiam esse dubiorum et improbabilium, sed nulla, ne minima quidem probabilitas. Vnum oppositorum probabile si fiat, eo ip- so alterum fit improbabile, et v. v. Am- bo opposita numquam eidem subiecto sunt probabilia. Improbabilia non magis, quam probabilia, dubia sunt, et dubia sunt nec probabilia, nec improbabilia. Omne probabile est latius certum, et o- mne improbabile falsitatis latius certae. Complete certa omnia vera sunt. Sed latius sic dicta certa, probabilia, dubia, im- probabilia possunt vera, possunt falsa esse. Quocunque significatu certus non est du- bius. Sed potest incertus esse, qui tamen non est dubius. Duo opposita nunquam possunt eidem esse improbabilia simul, possunt esse incerta, possunt esse dubia. Haec applicentur ad obligationem vel complete certam, vel latius incertam, et hanc vel probabilem (latius certam), vel dubiam (strictius incertam) vel improbabili- lem (latius certae falsitatis). §. 15.

§. 29.

Quarundam causarum impulsuarum potiorum connexio cum quibusdam liberis determinationibus potest satis cognosci ex natura actionis et agentis. Quarundam connexio potest satis cognosci ex arbitrio alicuius libero. Illa OBLIGATIO est NATURALIS (objectua, intrinseca, interna), haec POSITIVA (arbitraria, subiectua, formalis, extrinseca, externa).

§. 30.

Quum quaedam obligationes possint ex natura et arbitrio simul proprius satisque cognosci, obligatio ad idem potest esse objectua et subiectua simul, naturalis et arbitraria, nec ab obligatione naturali posita ad exclusionem arbitrariae, nec ab arbitraria s. positiva obligatione posita ad exclusionem naturalis valet consequentia.

§. 29.

§. 31.

Actiones vel sunt negatiuae, vel reales, M.

§. 135. Piores liberae determinationes, quaeque tales videntur, OMISSIONES, posteriores, quaeque tales videntur, COMMISIONES vocantur. OBLIGATIO ad omittendum est NEGATIVA, ad committendum AFFIRMATIVA, quae ne confundatur cum positiva §. 29.

§. 32.

§. 32.

Omnis determinationes hominis liberae sunt vel bonae, vel malae, M. §. 790. Omnes habent conlectaria in indefinitum, M. §. 23. eaque vel bona, vel mala, M. §. 790. Priores bona moralia §. 29, M. 788. sunt realitates, M. §. 145, 146. qua tales, non habentes pro conlectariis in indefinitum, nisi realitates, M. §. 140. id est, bona, M. §. 147. Postiores, peccata, M. §. 788. sunt negationes, M. §. 146. 147, qua tales, non habentes, pro conlectariis, in indefinitum, nisi negationes. M. §. 139, 23. id est, mala, M. §. 146. BONA et MALA MORALIA, quorum conlectaria respectiue bona vel mala durant adhuc post mortem bene agentis et peccantis, dicuntur IMMORTALIA. Omnia bona moralia, omnia peccata sunt immortalia.

§. 33.

Quod bona CONLECTARIA habet, eatenus bonum est, quod mala, eatenus malum est. §. 32. Haec autem aut proprius satisque connectuntur cum libera determinatione per naturam eius, et subiecti, cui inest, NATURALIA, aut per arbitrium alicuius liberum, ARBITRARIA, aut per utrumque, §. 29. Hinc conlectarium naturale si sit, illud ideo prorsus non esse arbitriatum; arbitriatum si sit, illud ideo prorsus non esse naturale, perperam concluditur. §. 30.

§. 34.

Quaedam determinationum liberarum conjectaria possunt satis propiusque cognosci^{I)} ex ipsarum 1) esfentialibus 2) essentia, 3) reliquis foecuridis variis i. e. determinationis liberae natura, M. §. 430. 197. Quaedam II) ex NATVRA 1) corporis 2) animae, 3) vtriusque coniuncta, s. HVMANA agentis s. libere se determinantis. Ergo sunt conjectaria quarundam determinationum liberarum naturalia, §. 33. Immo quum natura nullius actionis, nullius agentis sit omnino sterilis et sine rationato, M. §. 23. omnium determinationum liberarum dantur conjectaria naturalia, §. 33, eaque semper vel bona, vel mala §. 32.

§. 35.

Quoniam §. 34. patet independenter a propositionibus, quas atheismus theoreticus tollit, M. §. 999: atheus theoreticus, etiam qua talis, potest de bono maloque morali, §. 33. conjectariisque, bonis illius, huius malis, conuinci.

§. 36.

ACTIONES PER SE BONAE, vel **MALAE** dicuntur, quae cognosci possunt, ut tales, abstracthendo ab omni arbitrio eas vel has, vel illas esse volente. Ergo dantur actiones per se bonae malaue, §. 33. 34. Actiones liberae bonae se habent ad perfectionem, vti remedia M. §. 100, 341. malaes, ut impec-

dimenta, M. §. 221, 146. Respectus et habitudo actionis liberae ad perfectionem est eiusdem MORALITAS. Ergo moralitas actionibus tribuitur, vel quatenus spectantur, ut per se bonae malaevae, OBJECTIVA (perfectas ante voluntatem dei, e. c.) vel quatenus bonae malaevae sunt, propter arbitrium alicuius liberum, SUBJECTIVA.

§. 37.

Moralitas obiectiva tribuenda est determinationibus liberis §. 36, ab ipsis atheistis theoreticis, §. 35. Neque tamen eius defensores tenentur ponere, 1) actiones extra omnem nexum etiam cum perfectione suisque consecutariis spectatas, iam esse bonas, vel malas, §. 36, 33. 2) moralitatem omnem esse tantum in intellectu, velut ens rationis, nescio quod, M. §. 62. 3) existentiam moralitatis in factis habere posse rationem sufficientem simpliciter talem extra voluntatem dei, M. §. 933. 4) omnia actionum liberarum consecutaria per solam actionis agentisue naturam determinari §. 33. M. 408, hinc 5) nullam esse moralitatem subjectivam, §. 36.

§. 38.

Moralitas subjectiva per positam obiectiuam, nec in actionibus quidem per se bonis malisue, tollitur, nec tollit obiectiuam, nec in iisdem quidem actionibus liberis. §. 37, 33. Cognosci ab hoc, vel illo, aut

aut ignorari, nunc vtraque potest, nunc ignorari. M. §. 515. Vnde ab ignorantia forsan nostra vel huius, vel illius, vel utriusque, ad negationem vel utriusque, vel huius, vel illius, non valet consequentia. Quumque nunc haec, nunc illa certis in determinationibus liberis, a certis subiectis, facilius cognosci posse, deusque certo velit bonum, M. §. 899, quidam homines probabiliter: ab aliunde cognita moralitate subiectua propter arbitrium dei certa; propter arbitrium hominum quorundam probabilis ad moralitatem obiectuam similem, §. 35; ab aliunde cognita moralitate obiectua ad subiectuam propter arbitrium dei certa; ad subiectuam propter arbitrium hominum probabilis valet consequentia §. 28.

§. 39.

Cum committendo bono potiores causae impulsuae connexae sunt hominibus, quam cum omittendo, §. 31. M. 665. Committens autem bonum omittit malum, §. 31. M. 146. Ergo hominibus potiores causae impulsuae connexae sunt, cum omittendo malo, quam cum committendo, i. e. Homo obligatur ad committendum bonum, hinc omitiendum malum. §. 15. Imperatiui in disciplinis practicis significant, hominem obligari. Hinc committe s. fac bonum, adeoque omittre malum. Haec obligatio

B

potest

potest per naturam, et naturales vires rationis et analogi eius, §. 15. M. 640. ex natura boni malique libere committendi, vel omitendi, hominisque et animae humanae, M. §. 758, satis cognosci. Ergo naturalis est. §. 29. Vnde natura nos obligare dicitur ad bona committenda, omittenda mala, adeoque etiam ad bona per se committenda, et hinc inala per se omittenda. §. 36.

§. 40.

Bonum et melius, aut in pluribus bonis optimum, si fiant sibi inuicem opposita, M. §. 81. aut impedimenta, M. §. 221. causae impulsuue potiores connexae sunt cum committendo meliori et optimo, omittendis minus bonis, quae impeditentia maius bonum, ac ipsa sunt, magis mala, quam bona sunt. M. §. 146. hinc malis a potiori accensenda, M. §. 790, 697. Ergo bonorum sibi vere oppositorum, ita, ut ambo fieri nequeant, M. §. 81, committe melius et optimum, o- mitte minus bona. §. 39. Malum et peius, aut in pluribus malis pessimum si sibi inuicem vere opponantur, vt impedimenta mutua, M. §. 221, et ita quidem, vt vnum ex iis eligere sit factu tibi optimum, ob eandem rationem committe, s. fac minus mala, dum impediunt maiora, ac ipsa sunt, bonis a potiori accensenda, omitte peiora, et pessimum. §. 39.

§. 41.

§. 41.

Commisso mali peius, non aliter impediendum, impedituri, et omissio boni melius, non aliter consequendum, impedituri est ABNEGATIO. Ergo obligatio ad abnegationem naturalis §. 40. 29. OBLIGATIO RATIONALIS est, vel quae per rationem, vel quae per rationem sine fide cognosci potest. Et utroque significatu obligatio ad abnegationem rationalis est. §. 40. 39.

§. 42.

Obligatio ad malum, qua tale, committendum, bonum, qua tale, omittendum, ad committendum minus bonum, et omittendum minus malum in casu §. 41. nec naturalis est, nec rationalis, §. 41. immo nulla §. 23.

§. 43.

Qui bona committit, quia bona sunt, ea committit, quia iis positis ponitur perfectio, M. §. 100. Qui aliquid committit, quia eo posito ponitur perfectio, QVAERIT PERFECTIONEM. Ergo quaere perfectionem, §. 39. Iam moraliter impossibilium aequa nullum est obligatio, ac absolute et naturaliter simpliciter impossibilium. §. 17, 23. Ergo quaere perfectionem, quantum potes i. e. in eo intentionis gradu, qui tibi in se possibilis, nec omnino supra potestatem tuam positus, nec legibus fortioribus moraliter impossibilis redditus est. M. §. 723, 446. Perfectionis,

quam quaerere poteris, ratio determinans s. focus obseruabilior erit vel in te, vel in alio ponenda realitas, M. §. 141. Prior erit tua, tanquam finis, posterior tua, tanquam remedii, M. §. 341. Ergo quaere perfectio-
nem *tuam*, qua vel perfectior finis, vel per-
fectius medium fias, quantum potes. *O-
mitte te*, vel vt finem, vel vt medium, vel
vtroque respectu, *imperfectiorem reddentia*,
quantum potes, §. 31.

§. 44.

Quum non quaerenda solum sit perfectio, sed et quanta a nobis obtineri potest, §. 43. quum non bona solum, sed et plurium bonorum nobis possibilium optima committe-
re obligamur, §. 40. *Fac, quod factu tibi op-
timum est.* §. 39. Haec obligatio est naturalis,
et rationalis, de qua ipsi athei theoretici, qua-
tales, conuinci possunt. §. 41. 35.

§. 45.

Perfectionem suam quaerens intendit consensum variorum in se, anima, corpore,
et statu externo suo, ad vnum, §. 43. M. §. 94.
tam inter se, perfectionem internam, quam cum reliquis naturam vniuersam constituen-
tibus. M. §. 98, 466. Ergo et actionum sua-
rum mere naturalium, et reliquorum in ipso
et extra ipsum in potestate ipsius non po-
sitorum cum liberis suis determinationibus,
M. §. 708. Hinc eosdem fines intendit, qui his positi sunt. M. §. 341. Qui autem eos-
dem

dem fines intendit, qui naturae praefixi sunt,
NATVRAE CONVENIENTER VIVIT. Ergo perfectionem suam quaerens, quantum potest, naturae conuenienter viuit.

§. 46.

Naturae conuenienter viuens eosdem fines intendit, qui naturae praescripti sunt. §. 45. Hi autem sunt ipsius aliarumque rerum perfectio. M. §. 945, quae potest in mundo obtineri, maxima, M. §. 935. Ergo naturae conuenienter viuens, quantum potest, quaerit perfectionem suam, §. 43. Ergo obligatio quaerendae suae perfectionis est obligatio naturae conuenienter viuendi, et v. v. *Vive conuenienter naturae, quantum potest.* §. 43.

§. 47.

Si velis eum dicere conuenienter naturae viuentem, qui ita viuit, ut ex natura et per naturam cognosci potest, denuo patet, hoc etiam sensu querentem perfectionem, quantum potest, naturae conuenienter viuire, et v. v. §. 39, 44.

§. 48.

Quaerens perfectionem, quantum potest, eam fortius appetit, §. 43. hinc latius gaudet perfectionibus optimi, M. §. 682, 187. ergo amat optimum, M. §. 684. Amans optimi, illud fortius appetit, adeoque perfectionem quaerit, quantum potest. §. 43, M. §. 187. Ergo obligatus ad querendam per-

fectionem, quantum potest, obligatus est ad amandum optimum, quantum potest, et v.
v. *Ama optimum, quantum potes.* §. 43.

§. 49.

Quae singulos, vel in singulis, vel singulos in singulis actionibus liberis obligat, **OBLIGATIO VNIVERSALIS** est. Quae vero vel aliquos tantum, vel in aliquibus tantum liberis determinationibus, vel aliquos in aliis quibus tantum obligat, **PARTICULARIS** est. Hinc eadem obligatio diuerso respectu esse potest vniuersalis et particularis. Iam omnes omnium hominum determinationes liberae vel sunt bonae, vel malae, §. 32, vel ponentes perfectionem, vel tollentes §. 36. Ergo obligationes §. 39-48, quaeque ex iis vniuersaliter concludi possunt, sunt vniuersales ad singulas singularium hominum actiones liberas pertinentes.

SECTIO II.

COACTIO MORALIS.

§. 50.

Coactio absoluta, M. §. 702, et externa simpliciter talis, M. §. 707, s. quae fit per violentiam externam simpliciter sumtam, M. §. 714, quam aliqui solam coactionem dicunt, non sunt actionum s. determinatio-

num

num liberarum, hinc nec obligationes §. 11,
15, nec coactiones morales, M. §. 723.

S. 57.

COACTIO MORALIS INTERNA, qua persona se ipsam cogere dicitur, M. §. 714. est obligatio sui ipsius, vel vera, vel spuria, §. 27. non solum non contraria libertati simpliciter sumtae, sed etiam eam supponens, ut conditionem, sine qua non §. 11, et fit, quoties cum certa determinatione nostra libera, ad cuius oppositum multa et magna videntur impellere, tamen causas impulsivas potiores connectimus, §. 15. M. 713. Tunc haec coactio est lubitus, M. §. 712, pro quo susceppta determinatio libera aliquo significatu inuita, M. §. 713. tamen manet arbitraria et libera, M. §. 715, 727.

S. 52.

COACTIO MORALIS EXTERNA, qua persona aliam cogere dicitur secundum quid, M. §. 714. siue cogat illecebris et suasionibus ad ACTIONEM BLANDE COACTAM, siue minis et dissuasionibus, M. §. 728. ad ACTIONEM METU COACTAM (per violentiam externam secundum quid, mixtam) est obligatio alterius, vel vera, vel spuria, §. 27, in obligando non tollens libertatem simpliciter dictam, sed eam supponens, ut conditionem, sine qua non, §. 51. et fit, quoties cum certa determinatione libera alicuius personae, ad cuius oppositum multa eam et magna videntur im-

pellere, potiores tamen causas impulsivas connectimus, §. 15. M. 713. Tunc haec coactio producit lubitum M. §. 712. pro quo suscepta determinatio libera aliquo significatu inuita, M. §. 713. tamen manet arbitraria M. §. 715, et libera, M. §. 727.

§. 53.

Coactio moralis, tam interna §. 51, quam externa, tum blande, tum metu cogens, §. 52, potest obligare ad inuoluntarium ex significatu M. §. 721. adducto, neque tamen hoc significatu inuoluntaria omnia sunt moraliter coacta, M. §. 723. Ad voluntarium ex significatu M. §. 721. adducto possumus moraliter cogi, §. 52, licet voluntas non possit cogi coactionibus §. 50. enumeratis.

§. 54.

Ad actiones voluntarias ex significatu M. §. 722 adducto nec moralis quidem coactio locum habet, M. §. 723, nec interna §. 51, nec externa, §. 52. locum tamen habet obligatio, §. 15. per paene merum taedium, paene puram voluptatem, vel ingens superpondium, M. §. 713. Inuoluntariae actiones ex significatu M. §. 722 adducto omnes sunt moraliter coactae, vel interne §. 51, vel externe, vel blande, vel metu §. 52, M. §. 723, obligatione §. 15, vel vera, vel spuria, §. 27.

§. 55.

Non nisi latius et incommode omnis obliga-

ligatio non nunquam dicitur coactio. M.
§. 723, 701. Potest esse obligatio sine coactione, etiam morali, §. 54. Potest aliquis se ipsum obligare ita, ut se non cogat, potest se cogere ita, ut tamen liber maneat a coactione externa, etiam secundum quid tali, §. 51. Potest aliquis etiam externe cogi ad certam determinationem liberam secundum quid ita, ut tamen metu coactus apte satis dici nequeat, §. 52. Immo metu etiam cogi moraliter aliquis potest ita, ut actio dicto modo coacta tamen ab ipso non extorqueatur. Coactio moralis et extorsio differunt, ut superius et inferius, latius et angustius. Nec tamen extorsio tollit libertatem simpliciter dictam, sed eam supponit, ut conditionem, sine qua non. M.
§. 728.

§. 56.

Quoniam potest aliquis ad aliquid ita obligari, ut alter tamen homo illud extorquere, vel absolute, vel physice, vel moraliter nequeat; potest tamen etiam ita obligari, ut alter homo id, ad quod prior tenetur, absolute, physice, moraliter possit ab eodem extorquere; moraliter possibilis extorsio alteri homini concessa non nunquam est causa impulsiva obligando conexa cum certis determinationibus liberis, non nunquam non est. §. 55. **OBLIGATIO** ad liberam determinationem aliquam

per licitam alteri homini extorsionem est EXTERNA (plena, perfecta), reliquae INTERNAE (minus plena, imperfectae) sunt OBLIGATIONES. Ergo OBLIGAMUR EXTERNE, si et quatenus DETERMINATIO LIBERA nobis re praesentatur, vt EXTORQUENDA, i.e. talis, cuius extorsio est alteri homini moraliter possibilis s. licita. OBLIGAMUR autem INTERNE, si et quatenus determinatio libera, ad quam obligamur, nobis non re praesentatur, vt extorquenda.

§. 57.

Quum causae impulsuæ aliae, præter extorsionem alteri homini licitam, non possint solum plures esse, sed etiam nobiliores, verius, clarior, certius, ardenter cognoscenda, quam haec extorsio: male obligatio externa semper fortior, quam interna, putaretur. §. 56, 17, nunquam esse potest sine interna, §. 49, interna tamen saepius locum habet sine externa, §. 56.

§. 58.

Quando extorsio alteri homini licita ad determinationem aliquam liberam non nisi partialis est causa impulsuæ ita, vt obligatio externa inde resultans non sit, nisi partialis, §. 19, 56 cum internis obligationibus aliis, quasi complementum ad totum, obligationem totalem exhibens: haec partim interna, partim externa, tanquam totum, necessario maior est et fortior quam libet.

liber sua parte, hinc et externa seorsim considerata. §. 17. M. 160. Quando requiritur in certa persona certi roboris obligatio, tunc quod melius haec interne obligari potest secundum §. 26, hoc minus necessaria est obligatio externa; quo vero ineptior est ad plures et nobiliores obligationes internas, hoc magis necessaria est externarum inculcatio et cūmulus ad obtainendum requisitum obligationis gradum. §. 17.

§. 59.

Sicut obligatio interna non nunquam potest esse fortior, quam externa, potest etiam aliquando externa, in partes tractis internis partialibus aliis, §. 57, 58. maior esse, quam alia tantum interna, §. 17. Quod si tunc ad opposita obligantes collidi videantur, §. 23, quae videtur esse obligatio, sed debilior, nulla est, §. 19, 20. Si vero obligatio externa et interna obstringunt ad eandem determinationem liberam, quaerenda est earundem distinctio, M. §. 67, 515, et connubium s. coniunctio ad dandam veniam obligationem totalem fortiorē, §. 58, 40, cauenda confusio et commixtio, quavni diuersorum tribuitur, quod est alterius, §. 56, et separatio. M. §. 72. totalem obligationem male minuens et debilitans §. 21, 40.

CA-

CAPUT II.

OBLIGANTIA.

SECTIO I.

LEX.

§. 60.

NORMAE (leges) enunciant determinationem rationi conformem, M. §. 83. vel cum libertate proprius non connexam, s. non moralem, PHYSICAE (naturales) LATIUS DICTAE, quales leges motus, iura poli astronomica, leges hydrodynamicae, physicae strictius dictae, et quaedam psychologicae, vel moralem, M. §. 723. Hae quia determinationes liberas 1) moraliter necessitant, M. §. 723. 2) cum suis rationibus, i. e. causis impulsuis posterioribus connectunt, §. 12. M. 726. obligant, §. 15. M. §. 723. s. sunt propositiones obligatoriae. Quumque propositiones obligatoriae enunciant determinationem causis impulsuis posterioribus conformem, M. §. 80, 342, eamque moralem, §. 24. erunt normae (leges) morales, M. §. 723. Hinc NORMAE (leges) MORALES definiri possunt per propositiones obligatorias.

§. 61.

§. 61.

Quoniam obligationes sunt vel internae, vel externae, §. 56. NORMAEQUE (leges) MORALES propositiones obligatoriae, §. 60. erunt etiam hae vel INTERNAE (minus plenae, imperfectae, suasoriae, consilia) determinationum liberarum, quae et quatenus non sunt extorquendae, vel EXTERNAE (plena, perfectae, cogentes) determinationum libertarum, quae et quatenus sunt extorquendae. Quumque robur normae (legis) moralis sit robur obligationis, quam enunciat, §. 16. M. 180. normae (leges) morales externae non semper fortiores internis sunt, §. 57, cum internis conspirantes semper confirmantur, §. 58, hinc ab iis quidem distinguendae, non autem temere separandae, cum iis coniungendae, non autem confundendae commiscendaeque sunt. §. 59.

§. 62.

Possent quidem propositiones M. §. 83 definitae NORMAE, normae morales REGULAE, regulae cogentes LEGES tantum dici: quoniam tamen usus receptus omnes leges nuncupat: primae sint LEGES LATISSIME DICTAE, secundae LATE DICTAE, quas in posterum moralia tractaturi simpliciter leges dicemus, tertiae stricte dictae. Estergo LEX STRICTE DICTA lex determinationis libe-

liberae, quae et quatenus extorquenda est.
§. 56.

§. 63.

Satisfaciens obligationi, quam lex enunciat, LEGI SATISFACT. Quoniam obligationes sunt vel naturales, vel positivae, et hae vel diuinæ, vel humanae §. 29, LEGES autem propositiones obligatoriae, §. 60. sunt hae vel obligationis naturalis, s. ex natura actionis et agentis sufficienter cognoscendæ, NATURALES (objectiones) vel obligationis positivae, s. rationis ex arbitrio alicuius libero cognoscendæ, POSITIVAE (subjectivæ, formales, arbitrariae) et hae vel DIUINAE, ex arbitrario dei, vel HUMANAЕ, ex arbitrio hominis libero sufficienter cognoscendæ obligationis.

§. 64.

IUS 1) actionem legi conformem, 2) legem, 3) complexum legum similiūm, latius dictum, M. §. 472. 4) complexum legum stricte dictarum similiūm, ius STRICTUM (externum, cogens, plenum, perfectum), 5) facultatem moralem quamcunque, latius dictum significat, M. §. 971. Haec quum vel concedatur a legibus moralibus internis, APTITUDO MORALIS, (æxia, meritum) vel a legibus stricte dictis, §. 62, 6) ius erit STRICTE DICTUM facultas moralis a legibus stricte dictis concessa. A primo, secundo et quin-

to

to significatu in posterum omnino abstinebimus.

§. 65.

Jus naturae latisimum leges naturales omnes complectitur §. 64. M. 472. ex natura et per naturam sufficienter cognoscendas §. 29, 63. absolute necessarias, physicas, psychologicas quascunque §. 60, 62. morales internas et externas, §. 61, 62. IUS NATURAE LATIUS DICTUM est complexus legum naturalium moralium. Complexus legum naturalium hominem obligantium est ius NATURAE LATE DICTUM, quod a nobis moralia tractaturis solum attenditur §. 62, et leges morales naturales tam internas, quam externas comprehendens commodius philosophia practica obiective spectata dicitur. Pars eius est complexus legum naturalium externarum s. cogentium, IUS NATURAE STRICTE DICTUM (cogens, exterrnum) contradistinctum consiliis, legibus internis et suasoriis, quatenus naturalia sunt, §. 63, per philosophiam practicam etiam exhibens. §. 1, 61.

§. 66.

Complexus legum positivarum est ius POSITIVVM, §. 63, 64. tales et internas et externas complexum, LATE DICTUM, solarum externarum, STRICTE DICTUM, §. 65. Vtrumque denuo est vel complexus legum positivarum diuinorum, DIUINUM, vel humana-

rum

rum, HUMÁNUM. Lex tamen et ius positiva, tam diuina; quam humana, possunt simul esse naturalia, si et quatenus possunt simul ex natura actionis agentisque cognosci, sicut lex et ius naturalia, possunt etiam positiva esse, tum diuina, tum humana, si et quatenus eadem ex arbitrio dei hominum libero sufficienter cognosci possunt, §. 30, 65.

§. 67.

Ius pro facultate morali sumtum, §. 64, est vel NATURALE, a lege naturae, vel POSITIUM, a lege positiva concessum, a diuina, DIUINUM, ab humana, HUMANUM. Hoc etiam significatu ius est vel LATE DICTUM, a legibus vel naturalibus, vel positivis, diuinis humanis, internis etiam concessum, vel STRICTE DICTUM, facultas moralis a legibus cogentibus, vel naturalibus, vel positivis, iisque vel diuinis, vel humanis concessum, §. 64. Nec eodem significatu repugnat, idem ius alicuius naturale, si et quatenus ipsi etiam conceditur a lege positiva, esse simul positium, diuinum, vel humanum, vel vtrumque, sicut eodem tandem significatu ius positium alicuius, si et quatenus ex natura agentis actionisque sufficienter cognosci potest, simul est naturale §. 30, 66.

§. 68.

LEGES affirmatiue obligantes, s. ad commissionem, §. 31. sunt PRAECEPTIUAE, (praecepta) earumque ius §. 64, IUS MANDATI, nega-

negatiue obligantes, s. ad omissionem illicit, M. §. 723, sunt PROHIBITIVAE (prohibitiones), earumque ius, IUS VETITI. Prohibitiones et ius vetiti sunt impeditio[n]es morales, §. 60, M. 967. Quinque non impeditio moralis sit moralis permisio late dicta M. §. 969. nulla lege prohibita sunt TACITE PERMISSA, (significatu latiori,) licita, M. §. 723. Sed (permisio stricte dicta) LEX PERMISSIVA est lex declarans certam actionem non praeceptam quidem, nec tamen impediendam esse, est peculiaris species legis prohibitivae, in favorem aliquius certa forsan aucturi obligans alios ad omissionem impeditio[n]is, quae tali determinationi liberae alias obiici posset. ACTIO lege permisiua licita dicitur EXPLICITA PERMISSA.

§. 69.

Posito legem aliquam esse naturalem inde non tollitur, quod sit simul positiva, §. 66. Par est ratio iuris, §. 66, 67. Sicut aliquis de certa lege potest ignorare tantam eam esse naturalem, quam eam esse positivam: ita et potest de aliquibus vtrumque nosse, de aliquibus tantum alterutrum, saltim unum facilius, quam aliud, M. §. 527. In humanis quidem esse potest lex positiva, quae naturalis non est, in diuinis etiam, cuius nos nequeamus rationem sufficien-tem ex actionis agentisque natura cognoscere.

cere. Sed quoniam dei voluntas, s. arbitrium liberrimum, M. §. 898, summam scientiam perfectissime sequitur, M. §. 893. omnes eius leges positivae habent simul rationem sufficientem in natura actionis et agentis, s. simul naturales sunt, §. 63. Quumque deus velit omne bonum, M. §. 899. omnes leges naturales, §. 39. sunt et arbitrariae diuinæ. A lege naturali ad voluntatem dei circa liberas hominum determinationes, et a voluntate dei circa liberas hominum determinationes ad legem naturalem valet consequentia. Nos interim nunc hanc, saepe, nunc illam tantum cognoscimus cum aliqua certitudine, sed ab ignorantia nostra ad negationem rei male concluderemus §. 38.

§. 70.

Propositiones: *committe bonum, quantum potes*, §. 39, cum suis consecutariis, §. 40, *quare perfectionem, pro virili*, §. 43, *fac, quod factu tibi est optimum*, §. 44, et inde demonstrata, §. 45-48. demonstranda et demonstrabilia, sunt propositiones obligatoriae, §. 15, hinc leges, §. 60, ad quas natura obligat, §. 39. ex ipsa actionum agentium natura sufficienter cognoscendae, §. 40, ergo naturales §. 63. Nec difficulter tamen de iisdem ostendi potest, quod sint simul positivae diuinæ, §. 66, 69.

§. 71.

§. 71.

Leges naturae, de quibus §. 70, concedendae sunt ab ipsis atheis theoreticis, si, abstrahendo ab ipsorum errore circa existentiam diuinam, caeterum sanam rationem metitando sequi voluerint, §. 35, 41. Hinc si ius naturae athei asseritur hoc sensu, existentiam diuinam qui neget, eum tamen de bene multis assertis iuris naturae late dictis, potius philosophiae practicae, §. 65, conuinci posse, independenter ab eius atheismo, aut illis praemissis, quas negat, qua athetus, utique ponendum est. Neque tamen hoc posito admittitur: 1) ius naturae late dictum s. philosophia practica es-
set, exsisteretue, etiam si non daretur deus, M. §. 824. 2) prorsus est independens a deo, M. §. 868. 3) ex voluntate dei nulla ra-
tione omnino deriuari potest, §. 69, 70. 4) aeque bene cognosci potest ab atheo, ac ab agnoscente diuinam existentiam. Nam ius naturae athei s. philosophia practica, quam in suo errore perseverans cognosce-
re potest, destituitur ea 1) latitudine et co-
pia, 2) dignitate materiae 3) veritate, 4) lu-
ce, 5) certitudine 6) vita, cuius capax est
ius naturae late dictum s. philosophia
practica existentiam diuinam admitten-
tis, §. 51.

§. 72.

LEX obligationis vniuersalis est VNI-
VERSALIS, particularis, PARTICULARIS. Lex
autem naturalis §. 70, non omni solum si-
gnificatu inter homines vniuersalis est, §. 49,
ob rationes similes, omnes determinatio-
nes liberas omnium personarum determi-
nans, §. 10, 29. Hinc omnium personarum
singula facta aut moraliter necessaria sunt,
aut illicita. M. §. 724, 940, quum nulla sint
absolute, immo ne relative quidem, tota-
liter indifferentia s. adiaphora, M. §. 654,
935. CAMPVS (sphaera, extensio, latitudo)
LEGIS dicitur complexus determinationum
liberarum, de quibus ea lex aliquid enun-
ciat. Hinc legis naturalis §. 70. campus
patentissimus est.

§. 73.

Ivs legum vniuersalium complexus, et
a legibus vniuersalibus concessum, VNI-
VERSELE est, complexus legum particula-
rium, et a legibus tantum particularibus
concessum, PARTICULARERE est. Iam quia
leges naturales vel ex humana natura ge-
neratim, vel ex natura huius illiusue status
hominum speciatim sufficienter cognos-
cendae semper obligant singulos homines,
vel generatim, vel speciatim in peculiari
tali statu constitutos, §. 47. sunt ipsae ea-
rumque iura vniuersalia, §. 72. Hinc IVRA
naturalia tam hominibus generatim, quam
certis.

certis eorum statibus praescribenda, quatenus sine fide cognosci possunt, PHILOSOPHICA, quatenus singulos obligant, VNIIVERSALIA dicemus.

§. 74.

Quum leges et iura naturalia sint simul positiua diuina, §. 69, iam hinc patet, dari etiam leges et iura positiua diuina vniuersalia, §. 72, 73. Quoniam deus est vniuersalis spirituum legislator, M. §. 973, liberum ipsius arbitrium de hominibus generatim, aut de certis eorum statibus speciatim, singulos obligat, ita, ut inde cognoscendae leges sint denuo, et dent iura, diuina positiua vniuersalia, §. 72, 73. Si tamen quaestio de iure diuino positiuo id inferat : 1) an deus aliquando tales leges arbitrarias tulerit, quas homo non posit aliunde, nisi per reuelationem stricte dictam cognoscere, totum tamen genus humaanum obligaturas, non pertinet ad philosophiam, §. 1, 2) an tales leges diuinæ positiuae vniuersales sint, quae prorsus non habeant rationem sufficientem in natura actionis et agentis, negatur, §. 69. Leges et iura positiua humana, pleraque omni significatu §. 72, 49, saltim aliquo, singula non nisi particularia sunt, §. 73.

§. 75.

Quum nihil sit sine ratione sufficienti, M. §. 22, et omnis propositio suam habeat

hypothesin, omnis suas PRAEMISSAS, s. principia veritatis, iudicia alia, omnis etiam legis est ratio sufficiens, est quaedam hypothesis, sunt praemissae, et nexus eius ceu conclusionis, cum iisdem, i. e. CONVENTIA. §. 60. Omnis lex considerari potest, ut syllogismi alicuius conclusio, cui sunt principia sua materialia, est formale, quae consequentia cum sit omnis syllogismi anima, nexus legis cum suis praemissis, s. propositionibus veritatis ipsius rationem sufficientem continentibus, est ANIMA LEGIS. Nec hic haerebit, qui rationem sufficientem et legitimam, eam, quae est, et eam, quam quilibet obseruare potest, distinguere norit. M, §. 548.

SECTIO II. IVRIS PERITIA.

§. 76.

Legum potest esse cognitio historica, potest esse philosophica, eaque vel quae cunque ratione certitudinis §. 28, vel scientia, §. 75. Par est ratio iuris, §. 64. Potest hinc esse IVRISPERITIA, cognitio iuris vel historica tantum, vel philosophica, eaque iterum vel qualiscumque respectu certitudinis, vel certa ex certis, IVRISSCIENTIA.

Histo-

Historice tantum verba legis qui nouerit, iuris tamen peritus videri volet, LEGIVLE-
IVS est. Habitus subsumendi facta sub le-
gibus IVRISPRUDENTIA est. Iurisperitus et
Iurisprudens IVRECONSULTVS est, ille THE-
ORETICVS, hic PRACTICVS. Si quis ergo
potest esse iureconsultus theoreticus, qui
non sit practicus, esse tamen non potest
practicus, qui non sit theoreticus. Quan-
tum ubique cognitio intuitiva, quam sym-
bolica tantum, philosophica, quam mere
historica, scientia, quam incertior, etiam
philosophica, M. §. 669, tantum leguleio
praefat iurisperitus, iuris historice tan-
tum perito iureconsultus philosophicus, et
incerto iuris sciens. Leguleius et iuris hi-
storice tantum peritus animam legum et
principia iuris ignorant, iurisperitus phi-
losophicus probat, iurissciens demonstrat.
Iurisprudentia leguleii nulla est, iuris hi-
storice tantum periti precaria, iuriscon-
sulti philosophici certa, iuris scientium
certior. §. 75.

9. 77.

RATIONES LEGVM in rebus facti quaeren-
dae sunt HISTORICAE, in aliis legibus inter-
nis vel primis naturae moralibus sitae, MO-
RALES, quae in legibus aliis stricte dictis,
LEGALES sunt. Leges rationum historica-
rum fide humana cognoscendarum, qua-
tales, nec sciri, nec demonstrari complete-

possunt, possunt tamen probari, philosophiceque cognosci. Iuris eiusmodi non datur completa scientia. Male tamen a defectu rationum moralium et legalium supposito concluditur ad defectum rationis in lege, §. 75. Rationes morales solae qualescumque non statim externe obligant, §. 56, 61. hinc male habentur pro ratione sufficiente legis iurisue stricte dictorum, nisi adiiciatur peculiaris ratio, cur conclusio externe obliget, §. 64. M, 22, Rationes legales ex lege, quam talem esse, non nisi humana fide cognoscere possumus, sunt simul historicae, hinc ex iis tantum nec sciri, nec demonstrari complete, probari tamen aliae leges possunt. §. 75.

§. 78.

IURISPERITIA NATURALIS est cognitio iurium naturalium, §. 65, philosophicorum et universalium, §. 73, vel historica tantum, vel philosophica, et haec iterum vel qualiscumque respectu certitudinis, vel certa ex certis, **IURISSCIENTIA NATURALIS**. Historice tantum verba legum naturalium qui moverit, iuris tamen naturalis peritus videri qui velit **LEGYLEIUS NATURALIS** est, in iuribus eiusmodi philosophicis §. 73. 1. non scriptis, se turpius dans, quam forsan in aliis. **IURISPRUDENTIA NATURALIS** est habitus subsumendi facta sub legibus naturalibus. Iureconsultus naturalis esse si potest

theo-

theoreticus, qui non sit practicus, practicus tamen esse non potest, qui non est theoreticus. Quo facilior est ex ipsa natura et per naturam acquirenda, quo utilior est reliquis etiam iuribus soliditatem datura, quo magis necessaria est ob defectum auctoritatis externae legitimae iuris naturalis scientia, hoc maior defectus est in cognitione iurium eiusmodi tantum historicā, aut philosophicā etiam, tamen incertiore, §. 5. Ab incertitudine leguleii naturalis, etiamsi fuerit iuris positivi et particularis consultus, subiectua circa leges naturales, ad incertitudinem horum iurium et iurisprudentiae naturalis vel absolute respectu totius generis humani, vel obiective talem non valet consequentia,

§. 76.

§. 79.

Sicut ius naturae vel late, vel stricte dicatur, §. 65 ita est etiam IURISPERITIA ET SCIENTIA NATURALIS LATē DICTA legum naturalium quarumcunque, et STRICTE DICTA, exteriarum tantum, est IURISPRUDENTIA NATURALIS LATē DICTA habitus subsumendi facta sub legibus naturalibus quibuscunque, sed sub extensis tantum, STRICTE DICTA. Neutra iuris naturae scientia potest ullas suas leges demonstrare ex rationibus historicis. Res facti, historiae, consilia prudentum, auctoritates oratorum, poetarum, philosophorum,

C. §.

Digitized by Google

rum, reuelationis stricte dictae, fictiones, hypotheses philosophicae heic esse non posunt principia demonstrandi, recte tamen referri posunt ad declarationes, ut illustrantia, et ad subsidia heuristicā, s. media inueniendi vel in memoriam reuocandi quasdam conclusiones deinde aliunde demonstrandas. §. 2. Rationes iuris naturalis stricte dicti morales tum vniuersi, tum legum eius peculiarium attendere bonum est, §. 58, 59, non tamen ex iis temere et promiscue quibuscumque tentanda est horum demonstratio, quatenus sunt iuris naturalis stricte dicti, i. e. externe obligantia §. 65. Rationes eius legales ex iure positivo esent heic simul historicae, hinc ad demonstrationem aequē inutiles. §. 77.

§. 80.

Philosophia practica, leges et iura naturalia, philosophica, 1) quatenus sunt scientiae, §. 1, 73 cum reliquis scientiis et veritatis absolute necessariis, habent immutabilitatem absolutam, M. §. 130. 2) hypotheticam etiam, quatenus lex mutari dicitur quando cesat actu obligare, hinc immutabilis hypothetice, quando obligationem eius cessare est hypothetice impossibile. Nam autem hoc significatu mutari non potest lex, nisi cesset eius obligatio, obligatio autem cessare non potest, nisi cesset eius ratio sufficiens M. §. 30, 299. Ratio legis iurium-

que

que naturalium et philosophiae practicae in obligationibus est ipsa natura sufficiens, §. 63. Ergo haec iura dicto significatu sub hypothesi durantis naturae sunt immutabilia, M. §. 127, 128. Eodem significatu mutabilitas legum humanarum posituarum a mutabili et vario arbitrio humano pendens quum non cadat in dictas leges et iura naturalia, nouam his prae illis conciliat immutabilitatem hypotheticam, dum mutato hominis cuiuscunque arbitrio per id tamen mutari non posunt, §. 65.

§. 81.

Quum leges naturales sint simul positae diuinae, et v. v. §. 69, iam hinc patet tantam legum iuriumque diuinorum positiorum esse immutabilitatem, quanta naturalium est, §. 80. Idem inferendum est ex immutabilitate voluntatis diuinae, quae est harum legum ratio sufficiens, §. 63. M. 839. Quemadmodum autem ipsae leges naturales, quarum ratio sufficiens est rerum transitoriarum natura, M. §. 299. his suis obiectis mutatis mutari, cesantibus cessare videntur §. 80: quemadmodum homo etiam volens aliquid certo modo se habere ad tempus tantum finito hoc tempore voluntatem suam mutasse videtur volitionem temporariam et de temporariis confundenti: ita videntur **LEGES POSITIVAE DIUINAE INUARIABILES** illae tantum, quae in arbitrio diuino fundatae

datae sunt, cuius motuum nobis maxime obseruabile est constantium rerum natura, **VARIABLES** contra, in arbitrio diuino fundatae, cuius motuum nobis maxime obseruabile est transitoriarum rerum natura. Quae distinctio si perceptionem adhaerentem mutatae voluntatis diuinae inuoluat, M. §. 530, non caret anthropomorphismo subtili, M. §. 848.

§. 82.

Ratio et respectus determinationum nostrarum liberarum ad perfectionem est earundem habitudo ad legem, §. 70, et habitudo earum ad legem §. 70, est earundem respectus ad perfectionem. Hinc MORALITAS determinationis liberae potest etiam definiri per rationem, respectum s. habitudinem determinationis illius ad legem, ita, ut **OBJECTIONA** sit ratio determinationis liberae ad legem naturalem, et **SUBJECTUA** habitudo determinationis liberae ad legem positivam §. 36, 63. Iam quum leges naturales sint simul positivae diuinæ, et v. v. §. 69, ex hac etiam notione moralitatis inferri potest, obiectiuam non solum non excludere subiectiuam, nec excludi per subiectiuam, sed etiam ab obiectiuam ad aliquam subiectiuam valere consequentiam, §. 37, 38.

§. 83.

Obligationi legis satisfaciens **LEGEM SERVAT.** Actio legi conformis est **OFFICIUM.**

Er.

Ergo actio legem seruantis officium est, et habitus seruandi leges est CUSTODIA (obseruantia) LEGUM. Ergo habitus officiorum est custodia legum. Actio, ad cuius oppositum lex obligat, est TRANSGRESSIO (violatione) LEGIS, oppositum officii, s. LAESIO LATE DICTA. Habitus transgrediendi leges est NEGLECTUS, (contemptus) LEGUM. Hinc officiis erga deum, te ipsum, alia, si quae sunt, oppositae actiones liberae sunt laesiones dei, tui ipsius, aliorum significatu latiori. Haec applicentur ad seruare legem, officia, custodiad, laesionem late dictam, transgressionem, neglectum legum naturalium, NATURALIA. Lex §. 70: *committe bonum* cum suis consecrariis de committendo, sunt leges naturales praeceptiuae, earumque ius ius mandati naturale. Lex §. 70: *omitte malum*, cum suis consecrariis de omittendo, sunt leges naturales prohibitiuae, earumque ius ius vetiti naturale est. §. 68.

§. 84.

LEX NATURALIS ex natura hominis agentis et actionis per alias leges naturales demonstrabilis, DERIUATIUA est, ex natura autem citra concursum aliarum legum naturalium demonstrabilis, est PRIMITIUA. Sic: *praesta bonum* §. 70. est lex naturalis primitiua §. 39. LEX autem PERFECTIUA: *bonorum sibi vere oppositorum praesta melius*, §. 40, et *praecepti*.

ceptiuae prohibitiuaeque ex priori demon-
strandae naturales deriuatiuae sunt. §. 83.

§. 85.

Leges morales oppositae colliduntur. M. §. 97. earumque collisio est ANTINOMIA. Quumque contradictione vel sit vera, vel apparens, M. §. 12 antinomiae erunt vel vere, vel apparentes. Ad contradictionem veram requiritur accurate eiusdem de accurate eodem affirmatio et negatio M. §. 7, 12. Inter leges ergo, 1) quae non de eodem accurate subiecto loquuntur, 2) quae non eamdem accurate determinationem moralem de subiecto suo enunciant, et quidem 3) altera affirmatiue, altera negatiue, ita, ut una sit praceptiua, altera prohibitiua, §. 68, non est vera antinomia. Inter leges pracepti- uas non est vera antinomia, nisi una neces- sario inuoluat prohibitionem debiti secun- dum alteram. Inter leges prohibitiuas non est vera antinomia, nisi una necesario in- uoluat mandatum vetiti secundum alteram. Inter leges permisiuas, praesertim tacite tantum permittentes, et alias per permisi- uas licita praecipientes vel prohibentes non est vera antinomia. §. 68. Quoniam autem leges hominem obligantes sunt regulae per- fectionis humanae, §. 82, 70, et colliden- tium utriusque satisfieri non potest, §. 63, 23, orietur ex earum collisione exceptio mora- lis, M. §. 97, et tunc LEX, cui satisfaciendum

est,

est, VINCERE, opposita, a qua excipiendum est, VICTRICI CEDERE dicitur. Quoniam ramen obligatio legis cedentis in casu collisionis vere nulla est §. 23, ab eadem excipiens eam vere non transgreditur, §. 83; ita, ut peccatum minus ad evitandum maius, patuisse non possit accurate dici. M. §. 788.

§. 86.

Quum omnis exceptio a lege morali possit non consensum determinationis liberae ad rationem perfectionis determinantem illam, cuius conformitatem cum determinatione libera lex data enunciat, M. §. 97, 82, omni exceptione morali ponitur aliqua imperfectio, M. §. 121. Hinc omnis exceptio moralis est aliquid mali, M. §. 146. adeoque non, nisi 1) ineuitabilis §. 80, 2) minima praferenda est maioribus, §. 40. *Exceptiones morales, quae possunt, paucissimae minimaeque sunt.* Ergo si collidantur leges fortiores et superiores cum debilioribus et iis, quae sibi subordinandae sunt, exceptio fiat a debilibus M. §. 181, 182, et inferioribus, M. §. 186. si collidatur igitur lex naturalis optimi perfectiua §. 70, 84, cum quacunque lege vel naturali, vel positiva, ipsi subordinata quae fuerit, vincet illa hanc cedentem, §. 85.

SECTIO III.

PRINCIPIA IURIS.

§. 87.

PRINCIPIUM alicuius disciplinae OBJECTIUM est propositio, ex qua dogmata ad eam disciplinam pertinentia deduci possunt, SUBJECTIUM ea facultas animae, qua ad tam disciplinam cognoscendam in primis vtendum est. PRINCIPIA disciplinae OBJECTIVA iterum sunt vel PEREGRINA (externa, communia, illata) quae ad datam disciplinam, vt conclusiones, s. partes in ea demum docendae, non pertinent, vel DOMESTICA (internalia, propria, innata) quae, vt conclusiones etiam, ad datam disciplinam pertinent, partes eius, in ea demum praecipue docendae. Horum PRIMUM est, quod non iterum ex alio domestico deducitur, quod deducitur ex domesticis aliis DERIATIUM est. §. 84. Peregrina denuo sunt vel PROPAEDEUTICA, (prae-liminaria,) quae domestico primo probando adhibentur, vel EPISODICA, quae primo domestico iam sumto nonnunquam tamen ad deducenda ex eodem alia sunt huic assu-menda ex aliis doctrinarum seriebus, vt lemmata. Sola metaphysica habet principium objectuum absolute primum domesticum, M. §. 1, 7. in reliquis illud est omnibus pro-

præpaedeuticum, non raro simul cum suis coniectariis episodicum. Reliquarum disciplinarum principia domestica sunt omnium non, nisi relativae prima, ita, ut haec in scientiis semper supponant praædeutica. Erunt autem adaequata suae disciplinae principia obiectiva domestica prima, si ex iis nec plures, nec pauciores conclusiones fluunt, quam quae & quatenus ad datam disciplinam, tanquam partes spectant, M. §. 311. Haec applicentur ad principia iuris, philosophiae practicae, iuriumque naturalium & philosophicorum, quatenus spectantur, ut disciplinae, vel scientiae, §. 1, 65.

§. 88.

In quaestione de principiis iurisne confundantur iura e. g. naturalia & positiva, divina & humana, §. 67, ne principia iuris communia cum propriis. e. c. In quaestione de principio iuris naturae primo 1) ne confundatur obiectum cum subiectu, 2) ne externum aduocetur, vbi quaestio est de interno & domestico. 3) Si quoddam principium in nostro demonstrandi iuris naturae systemate domesticorum primum est, ne inde inferatur, nullum aliud posse in quibuscumque demonstrandi eiusdem seriebus aliis primum etiam recte constitui. Nam quod in certa demonstrationum serie domesticorum pri-

ium est posset forsitan paullisper inflexa ratiociniorum concatenatione ex alio domestico principio deduci , & hoc deinde non nisi ex propaedeuticis , 4) ne domesticum primum confundatur cum PRECARIO s. demonstratio prorsus non probato. Quod illis dictum est, qui principiis, licet intelligantur termini, nondum tamen complete certis , tanquam prima , gratis sumtis , vltioris omnino probationis incurii tamen integrum scientiam superstruere securi satagunt. Etiamsi assertum aliquod sit principium iuris naturae , domesticorum scilicet , primum , propaedeuticis tamen exterius & communibus principiis aliis nihilo minus eius probatio ad principium vsque contradictionis adscendat. 5) Adaequato principio iuris naturae primo domestico non excluduntur episodica principia , sed domestica tantum , quae ex eo non fluenter. 6) Multo minus eodem excluduntur principia formalia , logices asserta certitudinem formae & consequentiae demonstrationibus iuris naturae conciliantia, §. 87.

§. 89.

Quum iuris naturae terminus significations diuersae extensionis admittat, §. 65. cauendum 7) ne disputetur de primo principio iuris naturae domestico adaequato ante , quam inter dissentientes conuerterit,

an vocabulum in eadem latitudine intelle-
ctum velint, quia necessario e. g. adae-
quatum iuri naturae late dicto abundans
esse debet et nimis latum respectu iuris na-
turae stricte dicti, et huic iterum adae-
quatum nimis angustum esse debet iuri na-
turae late dicto. §. 88: Etiamsi 8) negah-
dum non sit constitutionem electionemue
eiusmodi principii primi, vti in disciplinis
aliis, sic etiam in iure naturae eo signifi-
catu ARBITRARIUM aliquid esse, quo ita di-
citur legibus certis e. g. externis aut gene-
ralioribus, non determinatum, §. 62: sicut
ti tamen definitiones nominales ideo, quia
arbitrariae sunt, non relinquuntur ARBI-
TRIO COECO, quod contra rationem appe-
tat, nec possit dicere, quare, sed PRUEN-
TI, cognitionem optimi, quam potest, o-
ptimam sequenti: ita etiam, si exhiben-
tur plura principia disciplinae cuiusuis et
iuris naturae, quorum vnum possis pri-
mum constituere pro lubitu, cato pro lu-
bitu praferendum est reliquis melius. §. 70.

§. 90.

Si datur optio inter plura principia,
ex quibus in certa disciplina, e. g. philo-
sophia practica, vel iure naturae vnum
primum constituendum sit, prudenti ar-
bitrio §. 89, reliquis praefertur, 1) quod
commodum est totius disciplinae, de qua
quaeritur, e. g. philosophiae practicae,

vel iuris naturae campo omni facilius oculis quasi subiiciendo §. 72. 2) dignam et nobilem disciplinae illius, e. g. philosophiae practicae, et iuris naturae faciem adspectui statim in ipso limine subiiciat, 3) non verum solum sit, sed etiam satis exactum, et purum falsis conceptibus adhaerentibus, et amphiboliis deceptricibus, 4) non absolute solum clarum et perspicuum, viuidum et distinctum etiam, fieri possit, sed etiam relativae iam sit, aut fieri facile possit iis, qui hanc disciplinam, e. g. philosophiam practicam et ius naturae docendi sunt, mediocriter saltim, quantum in ipsis est, praeparatis. 5) non certum solum sit in se, aut persuasione quacunque pro tali habeatur, sed etiam, scientiae si fuerit, complete certum, et quidem, probatione indigens, ex iis demonstrandum, quae in scientia tali rete possumunt sumi principia propaedeutica. Hinc philosophiae practicae, et iuris naturae, quod pars philosophiae est, principium primum esse debet sine fide demonstrabile, §. 1. 6) generatim sit maxime PRAGMATICUM i. e. foecundum inde deducendis corollariis practicis, s. PORISMATIBUS, et speciatim, si principium quaeratur disciplinae practicae, e. g. philosophiae, et iuri naturae, quod plures maioresque causas impulsivas exhibeat ad ea, quae poscit

scit disciplina, cuius principium constitutendum est. §. 87. M. 669.

§. 91.

Sicut ex contrapositis §. 87-90 bene multa sic dicta principia prima iuris naturae patebunt incommoda: poterit ex iisdem, ut principium obiectuum domesticum primum iuris naturae late dicti, s. totius philosophiae practicae, §. 65. non male constitutum defendi: *praesta bonum s. quacre perfectionem, quantum potes.* §. 39, 43. cui adaequatum erit: *praesta bonum, sine fide certato cognoscendum, quantum potes.* §. 1. 87. Ergo iuris naturae stricte dicti idem principium adaequatum constitui non potest. §. 89, 65. Est illud quidem lex naturae primitiva, nec tamen ideo citra omnem probationem vteriorem sumenda, sunt tunc reliquae deriuatiuae, neque tamen ideo negandum est, earum nullam vnuquam posse spectari, vt primituam, §. 84, 88.

§. 92.

OFFICIA vel spectantur, vt legibus internis conformia, vel vt externis, §. 83, 61. Illa sunt INTERNA (late dicta, imperfecta, commoditatis, amoris, minus plena) haec EXTERNA (perfecta, necessitatis, iuris, plena, stricte dicta.) Ergo LAESIONES etiam spectabuntur, vel vt officiis internis oppositae, INTERNAE (late dictae, imperfectae, amoris, minus plena), vel vt officiis necessitatis oppositae, EXTERNAE

(strictæ dictæ, perfectæ, iuris, plenae,) §. 33,
 quæ in iure stricte et simpliciter dicto, §.
 64. laesiones simpliciter dicuntur. Quum-
 que totum ius naturæ stricte dictum com-
 plectatur leges stricte dictas, et officia ex-
 terna, §. 65, omne deduci poterit ex princi-
 pio; *neminem laedas* (externe), quod primum
 domesticum obiectuum principium erit iu-
 ris naturæ stricte dicti §. 87. adaequatum ei-
 dem, ut scientiae, si ita restringatur: *omittre*
laesiones sine fide certo cognoscendas. §. 87, 76.
 Interim propositio: *neminem laedas*, (vel in-
 terne, vel externe) ultra ius stricte dictum, er-
 go et ius naturæ stricte dictum, se extendens
 potest in primis totius philosophiae practi-
 cae principiis numerari, §. 91, 83.

§. 93.

SUUM ALICUIUS (mēum, tuum) est com-
 plexus ipsi bonorum. Haec ipsi vel con-
 ueniunt per leges internas, vel per leges
 externas etiam, §. 61, 43. Illorum comple-
 xus est SUUM MORALE (late dictum, interne
 debitum), horum complexus est SUUM IURIS
 (externe debitum, stricte dictum), quod in
 iure, hinc et iure naturæ stricte dicto, su-
 um simpliciter dicitur, §. 64, 65. Vtrum-
 que ALICUI TRIBUITUR 1) NEGATIUE, si non
 tollatur, non impediatur ille, cuius suum
 est, in usu eiusdem, M. §. 338, 339. 2) PO-
 SITIUE, si usus eiusdem promouetur, s. fa-
 cilior redditur iuuando. M. §. 321. Suum
 iuris

iuris alteri homini , ne negatiue quidem , tribuens eum externe laedit , et alterum hominem externe laedens illi suum iuris , ne negatiue quidem , tribuit . Hinc propositio : *suum (iuris) cuique (homini, negatiue saltim,) tribue* , potest constitui primum iuris naturae stricte dicti principium , quod adaequatum huic scientiae fiet , si restringatur : *suum (iuris) certo fine fide cognoscendum cuique (homini negatiue saltim) tribue* . §. 92. Interim propositio : *suum (qualecunque , interne etiam tantum debitum) cuique , (non solum homini,) tribue* (non negatiue solum , sed etiam positivae , et quomodo cunque) vage et latius intellectis terminis , ultra ius , hinc et ius naturae , stricte dictum se extendens potest in primis totius philosophiae practicae principiis numerari . §. 91, 87.

§. 94.

Custodia legum , quatenus honoranda est , §. 82, M. 942. HONESTAS dicitur . Iam autem custodia legum , vel est externarum tantum , vel etiam internarum , §. 83, 61 : erit hinc honoranda custodia legum externarum , honestas EXTERNA , internarum etiam , INTERNA . Neminem (externe) laedens , & suum (iuris) cuique (homini, negatiue saltim) tribuens (externe) honestus est , s. honeste viuit , et (externe) honestus s. honeste viuens neminem (externe) laedat ,

dit, suumque (iuris) cuique (homini, negatiue saltim) tribuit, §. 92, 93. Hinc propositio : (externe) *boneste viue*, potest constitui primum iuris naturae stricte dicti principium, quod adaequatum erit huic scientiae, si restringatur: (externam) *bonestatem certo fine fide cognoscendam cole*. §. 92. Interim propositio : *boneste* (tam interne, quam externe) *viue*, ultra ius, hinc et ius naturae, stricte dictum se extendens potest in primis totius philosophiae practicae principiis numerari. §. 87, 91. Quum iuris naturae stricte dicti scientia sit pars philosophiae practicae §. 76. I. primum illius principium domesticum §. 92, 93 recte deducitur ex huius principio domestico primo, §. 91. in eo rationes morales habens, modo adiiciatur peculiaris ratio, cur illud: *neminem* (externe) *laede* e. c. externe obliget. §. 92, 77. Ex rationibus legalibus iurium positiuorum vel ipsum, vel eius consectaria, non magis, quam ex historicis, demonstrari posunt. §. 79. Etiam si haec, conlectaria principii de nmine (externe) laedendo, multis viis demonstrari possint, ut consilia, ex principio totius philosophiae practicae primo, independenter a principio vitandae laesione (externae) §. 91, nec tales demonstrationes omnino negligendae sint, §. 79, tamen huius principii de cauenda laesione (externa) semel demonstra-

ta

ta obligatione extērna , eoque constituto , vt primum iuris naturae stricte dicti , §. 92 , in singulis legibus ad ius naturae stricte dictum referendis , ad hoc , tanquam rationem legalem daturum prouocandum est §. 77 . obligationem illarum externam , vti postulat ius stricte dictum , §. 64 , demon straturo §. 79 .

§. 95.

Ius naturae late dictum , s. philosophia practica obiective spectata campi patentissimi vniuersalisima , §. 72 . si subiective spectatur , quatenus abhuc vel illo subiecto , hoc vel illo homine perspicitur , abit in TERRITORIUM I. N. LATIUS DICTI COGNITUM eam eius partem , quae a dato subiecto , (dato hominē , vel etiam toto genere humano,) clare perspicitur , et INCOGNITUM , eam eiusdem partem , quam datum subiectum clare non perspicit . Territorium I. N. latius dicti s. philosophiae practicae subiective spectatae cognitum iterum est vel RATIONIS ea huius pars , quam datum subiectum distincte philosophiceque cognoscit , et ANALOGI RATIONIS , quod et hic experientiam (latius sumtam) aliqui nominant , pars iuris naturae latius dicti , quam datum subiectum clare quidem , sed non nisi sensuue cognoscit . Territorium tandem rationis vel est SCIENTIAE , (stricte dictae) ea pars I. N. supra dicti , de qua datum subiectum

complete conuictum est, et RATIONALIS PROBABILITATIS (certitudinis moralis) ea pars I. N. supra dicti, quae dato subiecto, e. g. homini certo distin^cte quidem, sed sine completa conuictione cognita est, ita tamen, vt plus rationis ad assensum intelligat, quam contra §. 28.

§. 96.

A latitudine, et vbertate, campo et sphera iuris naturae philosophiaeque practicae obiective spectatae ad latitudinem territorii cogniti cuicunque promiscue subiecto e. g. toti hominum generi male, ad latitudinem territorii, quod rationis est in dato subiecto peius, tandem ad latitudinem territorii, quod scientiae est in dato subiecto pessime concluderetur. Ideo, quod iuris naturae lex quaedam non pertinet ad territorium dato homini, vel omni hominum generi cognitum, male, ideo, quod ad territorium rationis vel certi hominis, vel omnis generis humani non pertinet, peius, ideo, quod ad dictorum territorium scientiae non pertinet, pessime concluderetur eam prorsus non esse iuris naturalis.

§. 97.

Iuris naturae subiective spectati sunt, quantum eius fieri potest, proferendi limites territorii cogniti in incognitum, limites territorii, quod rationis est, in territorium analogi eius, territorii, quod est rationalis

lis probabilitatis, limites in territorium scientiae, §. 76. M. §. 669. Quum vni possit esse clarum, quod alteri obscurum, vni distinctum, quod alteri confusum, vni complete certum, quod alteri incertum, et v.v. imo eidem subiecto idem nunc obscurum, nunc clarum, nunc confusum, nunc distinctum, nunc incertum, nunc certum: admodum magna iuris naturae obiective spectati immutabilitate §. 80, admodum magna est eiusdem subiective spectari varatio et in diuersis subiectis et in eodem diuerto tempore, hinc et mutabilitas, augmentum, decrementum. M. §. 162. Hinc a perfectione vel imperfectione iuris naturae in dato subiecto spectati ad eiusdem perfectionem vel imperfectionem in aliis subiectis, non, nisi admodum cauta, valet consequentia §. 95, 96.

§. 98.

IUS COMPLETUM dicitur, quod ad omnes controuerias circa moralitatem factorum, (vel simpliciter omnium, vel certi generis), decidendas sufficit. Licet ergo ius naturae late dictum, s. philosophia practica, quia sufficit ad omnes controuerias circa factorum quorumcunque moralitatem decidendas, §. 70, 82, completissimum ius dici possit: non tamen ideo statim affirmare licet idem de iure naturae subiective spectato, vel huius illiusque hominis, vel totius etiam generis

neris humani, nec de omni quidem eius territorio cognito, multo minus de territorio rationis, et minime de territorio scientiae, §. 95. Hinc salua summa completione iuris naturae late dicti philosophiaeque practicae obiective spectatorum, nihilo tamen secius esse potest iuris huius naturalis subiective spectati supplementum, vel complementum ad ius perfectionis humanae internum, s. complexum legum perfectionis in hominibus internarum e. g. ius positivum diuinum, theologia moralis reuelata, et supplementum vel complementum ad ius perfectionis humanae externum, e. g. ius positivum particulare et humanum, illud FELICITATEM INTERNAM legibus internis obtinendam complens, hoc felicitatem EXTERNAM, legibus externis obtinendam. §. 96, 61. Quoque angustius, quo imperficius caetera ius est naturale subiective spectatum alicubi, hoc patentiora, hoc magis ibi necessaria haec complementa erunt, quatalia. §. 95. M. §. 155.

§. 99.

Principium iuris naturalis late dicti subiectivum est, per territorium rationis, ratio, per territorium analogi rationis, huius analogon, quod et hic aliqui vocant experientiam, §. 87, 95, et quoniam iura naturae praestat confusius nosse, quam omnino ignorare, hinc et apud alios docendos, qui ea

ea in ditionem rationis et scientiae vel non possunt, vel non volunt admittere, territorio analogi rationis potius inferre, quam in incognito omnino relinquere, §. 97. duplex hic suadendum est connubium rationis et eiusdem analogi, M. §. 640. 1) quo post tot iura naturae, quot possumus, scientia rationalique probabilitate cognita, non tamen negligamus alia sensitiae potius apprehendere, quam omnino ignorare, 2) quo eadem, quae scimus, vel ratione saltim probabili intelligimus, possimus etiam aesthetice pingere scientiae seueriorisque probationis incapacibus. M. §. 533. Hinc nouus usus subsidiorum ad ius naturae pertinentium, praeter inuentionem scientiae, §. 79. licet exfulent ex territorio scientiae iurium naturalium eo tantum manuducentia. §. 76, 95.

SECTIO III.

LEGISLATOR.

§. 100.

Auctor obligationis, quam lex enuntiat, eam LEGEM FERRE dicitur, et qui ius habet leges ferendi, LEGISLATOR LATE DICTUS, eiusque legis, quam tulit, legislator est. Nam Deus est auctor naturae universae, M. §. 940, 466, et omnium inde cœnientium.

nientium realium M. §. 959, obligationes autem naturales sunt reale quid et posituum, §. 12. M. 36, et in eadem rationem sufficientem habent, §. 39. Ergo deus est auctor obligationum, adeoque et legum naturalium, M. §. 940, 317. Ad quas ferendas quum summum ius habeat, M. §. 972, legum naturalium totiusque iuris naturae late dicti legislator est. **OBLIGATIO, IUS, ET LEX DIUINA** sunt, quae Deum auctorem & legislatorem habent. Ergo ius naturae et singulae leges obligationesque naturales diuina sunt, licet ab obiecto personali s. obligandis humana simul dici possint, cognoscunturque per reuelationem diuinam naturalem M. §. 986, eatenus naturalia. Si vel simul per reuelationem strictius dictam, M. §. 986, vel omnino per strictissime dictam, M. §. 989, eatenus sunt positiva diuina §. 63,

§. 101.

Legum posituarum diuinitas, quatenus sunt arbitariae, non est exclusiue intelligenda, ac si naturales, etiam quatales, non essent diuinae, §. 100, quamquam ex eo, quod omnes leges naturales etiam positivae diuinae sunt, noua ratione priorum diuinitas elucescit. §. 69. Quam hinc etiam probant, quia ius naturae cum reliquis necessario veris pender ab intellectu diuino, in eodem aeternum, M. §. 868. Sicut de existentia mundi et naturae potest atheus convinci

uinci independenter ab eius errore, M. §. 999, licet neget auctorem mundi et naturae; si-
cūt generatim cognosci potest effectus ali-
cuius existentia, licet non ignoretur solum,
sed etiam negetur exsistere certa quaedam
eius causa efficiens: ita ex negato legisla-
tore iuris naturae diuino negandam iuris
naturalis existentiam si vellet inferre ~~atheus~~,
non solum praemissa minor, sed etiam con-
sequenta maioris falsa esset, et ipse trans-
missa minori tamen refutandus, §. 71.

§. 102.

Quum omnes leges naturales sint volun-
tati diuinae conformes ex ea sufficienter co-
gnoscendae, et omnes leges positivaē di-
uinae hominibus latae sint ita naturae huma-
nae conformes, ut in eadem etiam ratio-
nem sufficientem habeant, §. 69. potest vo-
luntas dei, s. principium: *age ex voluntate*
divina in primis iuris naturae late dicti, s.
philosophiae practicae principiis numera-
ri, §. 91. collatis §. 88-94. Quoniam omnes
actiones, hinc et leges diuinae, adeoque na-
turales etiam leges, §. 100, 101. moraliter
sanctissimae liberrimaeque simul sunt mora-
liter necessariae, M. §. 902, per summam
suam sapientiam, sanctitatem, libertatem
que moraliter non potest, nec potuisset ob-
immutabilitatem iuris naturae, §. 81, aliam
legem naturalem condere, ac condidit, §. 72.
M. 724.

§. 103.

Actio, qua aliquid alteri clare cognitum reddi potest, s. DECLARATIO omnis, aut sit per orationem EXPRESSA, eamque vel dictam, VERBALIS (oralis), vel scriptam, LITTERALIS, aut aliis signis sufficientibus, TACITA. Iam aut declaratio omnis a legislatore facta LEGIS obligaturae, PROMULGATIO eius dicitur, et tunc ius naturae per naturam ipsam ab huius auctore promulgatum est, promulgatur, et promulgabitur: aut non, nisi expressa declaratio a legislatore facta legis obligaturae, promulgationis nomine insignitur, & lex naturae, eiusque ius, iam aliis signis sufficientibus declaratae obligationis, et quidem singulis per idem obligandis, promulgatione (expressa), qua talis, non indiget. §. 63.

§. 104.

Inter leges diuinas positivas stricte et strictissime reuelatas et iure naturae naturaliter reuelatas non est antinomia vera §. 85. M. 991. Apparente itaque tali collisione attendendum est, 1) an sit vere lex naturae, et exacte quidem, M. §. 515. quae talis videatur, neque tamen minus, 2) an sit vere reuelata per orationem, quae stricte reuelata videtur, M. §. 986, et hic iterum querendum, a) an voces et verba legis, quae videntur, sint vere reuelata, b) si lex, de qua quaeritur, expresse et explicite §. 103, vocibus

et

et verbis legis supponatur significari, an sit verus vocum verborumque sensus, qui supponitur, vbi hermeneutica opus erit, M. §. 349, c) si lex, de qua quaeritur, supponatur IMPLICITE REUELATA, i. e. ex vero et legitimo vocum stricte reuelatarum sensu legitimam per consequentiam deriuanda, praeter sensus examen hermeneuticum inquiri debet, an vera sit supposita consequentia, quod logica docebit, an non assumtae sint ad ea, quae expresse continentur in vocibus, praemissae aliae, de quorum veritate adhuc peculiariter dispiciendum erit. 3) an de iisdem accurate subjectis, e. g. in eodem statu spectatis, ambae leges loquantur 4) an accurate eandem determinationem liberam, qua gratus etiam, altera praecipiat, altera vetet, 5) an non praeceptis utriusque 6) an non prohibitioni utriusque satisfieri possit, e. g. diuerso tempore, et praesertim 7) an non ex ignorantia subjecti, qua aliquid iure naturae mandatum prohibitumue esse vel non conuictum est; vel ratione sua non perspicit, vel omnino nescit, §. 96 ad negationem rei concludatur, scilicet talem determinationem liberam aut iure naturae non prohibitam, immo potius permisam esse, aut non mandatam, et deinde lex naturae male visa permittere contradicens prohibenti stricte reuelatae, et

lex naturae male visa non mandare contradicens mandanti stricte reuelatae, per compagem praeiudiciorum, statuatur. §. 85.

§. 105.

LEGISLATOR STRICTE DICTUS est homo, qui ius habet aliis hominibus ferendi leges stricte dictas, respectu legum, respectu hominum obligandorum idem est (imperans, dominus) **SUPERIOR STRICTE DICTUS**, quum **LATE** superior sit omnis honoratior. Homo, cui est superior stricte dictus, est respectu eius **INFERIOR STRICTE DICTUS** (subjectus, subditus, seruus) quum **LATE** inferior sit minus honoratus. **IUS** et **PRUDENTIA** legislatoris, qua talis sunt **NOMOTHETICA**. **LEGESQUE** stricte dictae secundum regulas nomotheticas latae **OCULATAE** sunt, contra easdem latae, **COECAE**. **Ius** superioris in inferiorem (stricte) est **IMPERIUM** (superioritas, dominium), obligatio perfecta inferioris erga superiorem est **SUBIECTIO** (seruitus, inferioritas) seruitutis dantur gradus §. 17. Tantum subjectus alteri homini, quantum homo homini potest, est **MANCIPIUM**.

SECTIO V.
P R A E M I A.

§. 106.

Praemia quum sint bona physica, M. §. 907, bona autem physica late dicta sint iterum

iterum vel physica stricte dicta, vel moralia, M. §. 787. bona etiam moralia possunt esse aliorum praemia. Sunt quidem praemia rationata bonorum moralium, et consectaria, hinc natura prius iisdem est bonum morale, ob quod bene agenti conferuntur, M. §. 907. quatenus tamen bona moralia quaedam praevidentur, eatus ob haec praeuisa possunt etiam ante, quam haec existant, tempore priora conferri et ut ita dicam praenumerari quaedam praemia M. §. 300. Bonum, quod rationem praemii recipiendi continet est MERITUM LATÈ DICTUM (significatu actiuo, quum passiuo ipsum praemium sit meritum). Ergo sola moralia possunt esse merita, M. §. 907, nulla bona metaphysica M. §. 147, nulla physica stricte dicta. M. §. 787, nulla fortuita, qua talia, s. bona fortunae M. §. 912 sunt merita. Prosperitas non est meritum M. §. 787, sicut bonum metaphysicum non est praemium, M. §. 147, 907.

§. 107.

Beneficium ab homine in hominem collatum, ea praestans, ad quae bene faciens non erat externe obligatus, est MERITUM STRICTE DICTUM (actio meritoria). Quicquid ergo 1) non est determinatio libera M. §. 903, aut 2) non bona, aut 3) non utilior, respectu cuius meritum esse supponi.

ponitur, aut 4) non ex amore erga illum, sed ex aliis rationibus suscepta, aut 5) ea tantum praestans, ad quae peragens externe obligatus fuerat; non est meritum stricte dictum. Meritum stricte dictum, ad cuius praemium ille, de quo bene meretur, externe obligatur, est MERITUM STRICTIUS DICTUM, meritique strictius dicti praemium MERCES est. Libere suscipiens aliquid vel intuitu mercedis, vel intuitu mercedis tantum MERCENARIUS est.

§. 108.

Cui determinationibus nostris quibuscunque non possumus vtiles, multo minus vtiliores esse, in eum merita stricte dicta, quique non potest externe obligari ad praemia cuiquam conferenda, in eum merita strictius dicta locum non habent, nec ab eo merces exspectari potest, hinc in eum animus mercenarius, saltim moraliter, impossibilis est. §. 107. Qui tamen actionem intuitu praemii, quod agnoscit GRATUITUM, s. non mercedem, praefertim inter alias causas impulsuas, suscipit, animus illi mercenarius ideo tribui non potest. §. 107. Recte potius 1) ex qua cunque determinatione libera bona, si vel maxime non solum summum bonitatis rectitudinisque gradum non attigerit, sed etiam bonitatis fuerit modo tantillae, quae hominibus videatur infinite parua. 2) omnis

2) omnis bene agens, si vel maxime peccator sit, M. § 909. 3) proportionalissima praemia sibi conferenda exspectet. M. §. 907.

§. 109.

Praemia arbitraria erunt vel diuina, vel humana, M. §. 908. Sicut humana, quatenus supernaturalia non sunt, naturalia dici possent M. §. 469; ita naturalia omnia sunt etiam arbitraria diuina M. §. 911. Quanquam bona fortunae possunt esse praemia diuina arbitraria. M. §. 912. at tamen certa eiusmodi bona 1) ob bona moralia praeterita, praesentia, an futura omnino, §. 106. 2) ob quaenam, 3) an certo horum numero proportionatus fit certus bonorum fortunae numerus ex iudicio dei conferentis, determinare nos vetat imperscrutabilitas voluntatis diuinae M. §. 900. Ante, quam ullam bonam determinationem liberam deus transmittet, aut omnino sine praemio, aut sine proportionalissimo, miraculosa potius largiretur. §. 108. M. §. 913. Quae tamen praemiis naturalibus, et arbitrariis non miraculosis aequo bene et proportionalissime, ornari possunt, ob ea nunquam miraculosa praemia conferet. M. §. 497.

§. 110.

Omnis determinatio libera bona, habet sua consectaria bona, hinc praemia

naturalia §. 34 M. §. 907, ipfi atheo conce-
denda, quamuis neget ea esse simul arbi-
traria diuina, §. 109, et quoniam bonum
est, quo posito ponitur perfectio, M. §. 100.
bona erit, quatenus bona fundit consepta-
ria, s. praemia habet naturalia, ita, ut pae-
mia naturalia actionis per se bonae decla-
rent moralitatem obiectiuam, sicut arbitra-
ria subiectiuam, §. 36, hinc naturalia ob-
iectiuam subiectiuamque simul respectu dei,
§. 109. Vtraque haec praemia quum sint
causae impulsuiae ad actuandam potius ra-
tem determinationem liberam, quam eius
oppositum, M. §. 342, ad obligationem
aliquid conferent, §. 10, 12, naturalia ad na-
turalem, arbitraria ad posituam §. 29. M.
908 hinc naturalia ad naturalem arbitrari-
amque diuinam simul, §. 109, certa ad cer-
tam, incerta ad incertam, §. 28, praeser-
tim immortalia, §. 32, immo possunt mo-
raliter cogere, §. 52, ad actiones etiam in-
uoluntarias, §. 53, et ipsa officia externa,
sed non, quatenus sunt extorquenda, s.
ad officia etiam externa, sed non externe
obligare possunt, §. 56. M. 728. Hinc ta-
men male concluditur, ea semper imbecil-
lius obligare, quam extorsio, §. 57, aut ob-
ligationibus externis frustra addi, §. 58.
quum praestet eorum obligationem cum
externis coniungere, quam ab iis separare,
§. 59.

§. III.

Leges possunt obligare per praemia, §. 60, 110, ipsae etiam externae, sed non, qua tales, §. 61, 62, naturales per naturalia et simul arbitraria diuina §. 63. M. 908. positiuae per arbitraria, diuinae per diuina arbitraria, ea etiam, quae simul naturalia, §. 109, bona moralia, §. 106, bona fortunae, et miraculosa, et immortalia §. 109, 110. humanae per humana, quae si oculatae, §. 105, sint naturales arbitrariaeque diuinae simul, per harum simul praemia obligationem suam non male confirmabunt, §. 110, 63. Est ergo iuris naturae late dicti s. philosophiae practicae per praemia bonarum determinationum liberarum naturalia obligare, §. 65. nec illa negligit ius naturae stricte dictum, licet qua tale, per ea non obliget, §. 110. Lex naturae est: *Committe, quod plurima maxima praemia spondet, omittit buius oppositum*, §. 70, 110. Quanquam et haec lex atheo patet, §. 110, quantum tamen 1) multa praemia 2) admissorum etiam aliquorum magnitudinem et dignitatem negat ex parte, §. 109 iterum inde defectus non parvus in athei iure naturae s. philosophia practica detegitur, §. 71, 5.

§. III.

Praemia naturalia et ea, quae certum subiectum pro talibus agnoscit, male, ea,

quae datum subiectum, talia esse, ratione sua perspicit, peius, ea, quae idem talia esse certo sciat, pessime confunderentur et coextensa esse supponerentur, §. 96, M. 908. Curandum tamen est, ut plura maiora in dies clarius, rationabilius certiusque perspicias, §. 97. Huius interim cognitio-
nis defectus, praesertim in plurimis obli-
gandorum, admodum ingens iterum phi-
losophiae practicae supplementa commen-
dabit, §. 96. et fictiones cum aliis colori-
bus aesthetico practicis, §. 99. Quamquam
praemia naturalia ex contingentis actionis
essentia agentisque natura contingentia
sufficienter concipienda non possunt esse
absolute necessaria, M. §. 468. sunt tamen
semel patrata actione physice necessaria,
M. §. 469, et quatenus simul sunt arbitra-
ria respectu dei, moraliter necessaria. §. 102.
Quumque lex naturae per ea obliget, §. III.
vera reuelatio stricte et strictissime dicta
vere non potest obligationem per ea tol-
lere, §. 104. Possunt etiam legislatores ho-
mines stricte dictis etiam in legibus decla-
rare obligationem non solum per praem-
mia arbitraria humana, sed etiam per di-
uina et naturalia, neque tamen eatenus le-
ges eorum erunt stricte dictae, adeoque
nec eatenus, quatenus praemiis tantum
quibuscumque obligat, ullus homo supe-
rior stricte et legislator est. §. 105. III. ius
er

et PRUDENTIA determinandorum praemiorum sunt BRABEUTICA.

§. 113.

In obseruandis praemiis omnibus, speciatim diuinis et naturalibus cauendum est a VITIIS SUBREPTIONIS, iudiciis, quibus discursiva habentur pro intuitiuis, qualia facilis negotio nascerentur ex his PRAEIUDICIIS, s. fallis iudiciis per praecipitantiam latis: 1) Cuius ego non experior praemia, illud nulla habet habebitue, aut omnino nulla habere potest. 2) quod in multis conuenit cum bono, quod alias fuit praemium, vel est, illud est, et certo quidem, praemium, 3) quod succedit alicui liberae determinationi bonum physicum visum, est prioris praemium ita, ut ex huius euentu et exitu ad illius bonitatem valeat consequentia, M. §. 548.

§. 114.

Ex determinationis alicuius liberae materiali remoto et realibus ac positiuis in materiali proximo non sequuntur, nisi bona, et ea quidem semper. §. 32. M. 914, et possunt haec esse partim ex sola iam determinationis illius essentia agentisque natura conceptibilia, possunt esse bona fortunae, possunt cum tali determinatione non nisi per alterius arbitrium connexa esse. M. §. 912, potest eorundem repraesentatio fieri causa impulsiva ad obligationem §. 15. M. 728.

Quod si tamen actionis determinationis liberae illius formale tam malum sit, M. §. 914. vt ad illam omittendam causae potiores fint, §. 12, 40. obligatio per memorata bona consecaria reapse nulla erit, §. 42, nec talis determinatio libera commissa bonum morale, §. 40, adeoque consecaria eius, etiam si bona, non tamen collata ob bonum morale, nec hinc praemia, M. §. 907.

SECTIO VI.

P O E N A E.

§. 115.

Mala metaphysica personae non possunt accurate eius poenae dici, M. §. 146, 908, peccata tamen possunt esse aliorum peccatorum poenae. Natura malum morale semper prius est, quam poena, non necessario semper prius est tempore, §. 105. Malum infligendae poenae rationem continens est DEMERITUM. Ergo sola mala moralia, nulla metaphysica, M. §. 146, nulla physica stricte dicta, M. §. 788. nulla infortunia, quatalia, M. §. 912, nulla miseria, quatalis, M. §. 788. poenam merentur, s. sunt demerita.

§. 116.

POENA MEDICINALIS aut dicitur, quae ideo infertur, vt ex eius illatione vel demerenti, vel toti, ad quod pertinet, boni aliquid enas-

enascatur maioris, ac est malum poenae, aut ANIMADUERSIO (castigatio) tantum, quae ideo infertur, ut ipse demeritus CORRIGATUR i. e. imperfectiones ipsius tollantur. Haec vltima non accurate negatur esse poena, M. §. 908. Priori significatu sapienter decretae poenae omnes medicinales sunt, non necessario significatu secundo. Non omnis poena sapienter decernenda est tantum animaduersio, M. §. 882.

§. 117.

Auersatio determinationis alicuius liberae ob solas poenas eius praeuisas TIMOR SERVILIS est. Quicunque ergo auersatur aliquam determinationem liberam in aliis causis impulsu*s* ob euitandas poenas, non ideo timoris seruili reus est. Recte potius et vere 1) omnis mali moralis, si vel maxime prauitatis tantum fuerit tantillae, quae hominibus videatur infinite parua, PECCATILLI (peccati philosophici) 2) omnis demeritus, si vel maxime a multis aliorum reatibus innocens sit, M. §. 909. 3) poenas peccato proportionalissimas praeuidet. M. §. 910.

§. 118.

Poenae arbitriae sunt vel diuinae, vel humanae. Sicut humanae naturales sunt, supernaturalibus si contradistinguuntur, naturales etiam respectu dei sunt arbitriae. Quanquam infortunia posunt esse diuinae poenae arbitriae, an tamen 1) ob certa pec-

peccata 2) certae malorum moralium connumerandorum quantitati proportionata sunt poena ex iudicio dei inferentis, 3) animaduersiones tantum sint, nec ne, §. 116. temere determinare homines non patitur voluntatis diuinae imperscrutabilitas. Miraculosis potius poenis mala moralia persequitur deus, quam nullis, quamdiu tamen naturales et arbitrariae, non supernaturales, sufficiunt proportionate, nunquam aliquis miraculosas dabit. §. 109. M. 910.

§. 119.

Omne peccatum habet sua **consectaria** mala, hinc poenas naturales, ipfi atheo concedendas, quamvis eas neget esse arbitrarias respectu dei, §. 110, et quoniam malum est, quo posito ponitur imperfectio, M. §. 146. mala erit determinatio libera, quatenus mala fundit **consectaria**, s. poenas naturales post se trahit, ita, ut hae actionis perse malae declarent moralitatem obiectiuam, sicut arbitrariae poenae subiectiuam, adeoque naturales obiectiuam subiectiuamque simul respectu dei. Vtraeque quum sint causae impulsiuae omittendae potius actionis, quam committendae, conferunt aliquid ad obligationem, naturales ad naturalem, arbitrariae ad arbitrariam, certae ad certam, incertae ad incertam, praesertim immortales, §. 110. Quanquam internam etiam obligationem augere possunt, §. 117.

ex.

externam tamen, qua talem, solae dabunt.
§. 56. M. 728.

§. 120.

Leges possunt obligare per poenas, ipsae etiam internae, s. consilia, §. 119, III. naturales per naturales et simul arbitrarias diuinias, posituae per arbitrarias, diuiniae per diuinias, alia mala moralia, infortunia, et poenas miraculosas, immortales, humanae per humanas, quarum obligationem, si ipsae simul naturales arbitrariaeque diuiniae fuerint leges, per harum simul poenas apte confirmabunt. Lex naturae est: *Omitte, quod plurimas maximas poenas minatur, et eius oppositum committe.* Quanquam haec lex atheo etiam parescere potest, quatenus tamen 1) multas poenas negat, 2) admissarum etiam grauitatem magna ex parte negat, iterum inde defectus in iure naturae athei detergitur. §. III. SANCTIO POENALIS est declaratio poenae, per quam certa lex, cui adiicitur, obligatura sit. Ergo non omnes leges indigent sanctione poenali, §. III. indigent eadem omnes leges stricte dictae, §. 119. Non ad omnium, sed ad legum stricte dictarum promulgationem requiritur, interim tamen et in his potest esse vel expressa, vel tacita. Hinc leges naturales stricte dictae aut non indigere sanctione poenali statuuntur, aut iisdem ea iam per ipsam natu-ram ex natura deducentem adiecta est. §. 103.

§. 121.

§. 121.

Poenae naturales posunt esse multae, quas certum subiectum non agnoscit, plures, quas ratione sua non perspicit, plurimae, quas idem demonstrare non potest. Vnde noua ratione patet utilitas supplementorum iuris naturae et philosophiae practicae, et speranda ex connubio analogi rationis cum scientia in descendis docendisque pertinentibus ad philosophiam practicam obiective spectatam. Poenae naturales non sunt absolute necessariae vllae, patrato tamen malo morali physice necessariae sunt, et moraliter, quatenus simul sunt arbitrariae diuinae, hinc obligationem per easdem vere non potest tollere vera reuelatio stricte, vel strictissime dicta. §. 112. Legibus humanis positius adiicienda quidem sunt sanctiones poenales poenarum arbitrariarum humanarum, §. 120. confirmari tamen et harum, oculatae si fuerint naturales diuinaeque simul, obligatio potest poenis diuinis naturalibus et arbitrariis, §. 112. IUS ET PRUDENTIA determinandarum poenarum PUNITIUA sunt.

§. 122.

In obseruandis poenis omnibus, specialiter diuinis et naturalibus, cauenda sunt via subreptionis ex his e. g. praeiudiciis: 1) cuius ego non experior poenas, aut, cuius ego non experior per certum tempus poenas,

nas, aut: cuius ego non experior poenas certi generis, illi experior nullas esse, illud nec vllae sequentur, aut omnino: illius nullae esse posunt. 2) quod in multis conuenit cum malo, alias poena, illud est, et certo quidem poena, immo, ne animaduersio quidem. §. 116. 3) quod succedit alicui determinationi liberae, malum physicum visum est prioris poena ita, ut ex huius exitu et euentu prauo et infelici, immo ex grauitate mali in hoc ad illius prauitatem, immo gradum mali in eodem exacta valeat consequentia, §. 113.

§. 123.

Omnis actio finita, quales determinationes hominum liberae omnes, M. §. 743. partim mala M. §. 264. habet formale quedam malum, M. 914, 146. ex quo non, nisi mala, in infinitum, §. 32. quorum quaedam possunt ex sola determinationis essentia agentisqne natura satis concipi, quaedam esse possunt infortunia, quaedam non, nisi per arbitrium alterius, cum tali determinatione connexa esse. Horum omnium representationes possunt causae impulsuae fieri ad obligationem. Quod si tamen materialia determinationis eiusmodi liberae tam bona sint, ut ad eam committendam causae potiores sint, obligatio per memora recta consecaria ad omittendam determinationem eiusmodi liberam reapse nulla erit,

nec

nec ipsa determinatio malum morale, adeo que nec haec coniectaria mala illata ob malum morale, nec ideo poenae, §. 114. M. §. 908.

§. 124.

Omnès quidem poenae, qua formale, non sunt, nisi priuationes M. §. 908, 146. quaedam tamen et videntur tales, POENAE DAMNI, quaedam videntur positiva et realia, POENAE SENVS, M. §. 36, prout vel omitendo, vel committendo poena videtur infligi, §. 31. Hinc grauiter erret, qui poenas priuatiuas (damni) habeat pro nullis, aut omnino non sentiri putet. M. §. 534. In poenis non velle, nisi reale, quod in ipsis est, e. g. memorata, §. 116. M. 915, longaminiias sine procrastinatione, M. §. 916. impartialitas, M. §. 917, et aequitas, M. §. 918, sunt prudentiae punitiuae §. 121. (sicut impartialitas et aequitas etiam brabeuticae §. 112.) in omni legislatore, etiam stricte dito, §. 108, 48. IMPUNITAS est status sine poena peccantis, ABSOLUTA esset omnis, RELATIVA, est certae poenae, quam quis demeritus est, absentia. Prior nulla est. §. 117. Absentia autem POENARVM 1) iniquarum 2) partialium 3) intempestive acceleratarum, 4) CRUDELIUM s. ex gaudio punientis de malis puniendi profectarum 5) illarum, quae huic illiue positivae videantur, vbi priuatiuae viſae sufficiunt, 6) miraculosarum, vbi natu-

naturales et non miraculosae sufficiunt, §. 118, 7) omnibus manifestarum §. 122, non est ideo impunitas. Nec a relatiua quadam impunitate, multo minus ab apparente tantum, ad rectitudinem actionis V. C. M, §. 901.

SECTIO VII. IMPVVTATIO FACTI.

§. 125.

APPLICATIO est iudicium, quo de vniuersali aliquo (notione) affirmata affirmantur, negata negantur de inferiori eius (conceptu sub eadem) sub eodem contento. IMPUTATIO LATE DICTA dicitur 1) iudicium, quo quis certi facti auctor iudicatur esse, 2) applicatio legis ad factum, s. facti sub lege subsumtio. Priorēm IMPUTATIONEM FACTI (physicam), posteriorem imputationem LEGIS (moralem) dicamus. Haec est affirmatio vel negatio praedicati de facto aliquo, quod praedicatum certa lex affirmavit, vel negauit de superiori s. notione, sub quibus datum factum continetur. IMPUTABILITAS (imputatiuitas) est ea determinationis alicuius affectio, qua 1) alicui auctori tribui 2) sub certa lege subsumi potest. Prior est FACTI (physica) s. dependentia determinationis a libertate, poste-

F

rior

rior est LEGIS (moralis) s. dependentia liberae determinationis a lege, applicabilitas legis ad factum datum, et ea huius affectio, qua continetur sub notione aliqua, de qua certa lex nonnihil affirmet, vel neget, ut hinc idem de dato facto affirmari negariue possit per dictum de omni et nullo. M. §. 154.

§. 126.

Imputans vel imputatione facti se ipsum certi facti auctorem iudicat, et imputatione legis suum ipsius factum sub lege subsumit, vel imputatione facti alium certi facti auctorem esse iudicat, et imputatione legis factum alienum sub lege subsumit, §. 125. Posterior est IMPUTATIO STRICTE DICTA tam FACTI, quam LEGIS. Prior est CONSCIENTIA (moralis, et stricte dicta) tam FACTI, quam LEGIS, quo tamen nomine saepe etiam facultas et habitus dictarum actionum significatur, M. §. 219.

§. 127.

Facta non habent causam efficientem deficientemque, nisi substantiam liberam, M.. §. 940; 319. hinc personam §. 10. Hinc imputaturus factum cognoscat oportet 1) factum 2) personam 3) illius ab hac dependentiam, M. §. 313. Quoque melior triplex haec cognitio, hoc melior erit imputatio facti, §. 125. Iam factum effectus est, M. §. 940, effectus caussatum, M. §. 319. causatum

tum actuale, M. §. 307. hinc admodum determinatum, M. §. 54. et praeteritum, praesens, vel futurum singulare, M. §. 298; omnimode determinatum, M. §. 148, cunctus, M. §. 323. Quumque libertas et extensio sint cognitionis perfectio, M. §. 515, 94. felicius imputaturus factum tot ipsius varia, tot circumstantias, M. §. 323, quarum minima saepe variat factum, M. §. 324, attendere tenetur, quot potest saluis reliquis imputationis perfectionibus, M. §. 669.

§. 128.

Varia interna et externa s. relativa facti in imputatione eiusdem attendenda sunt MOMENTA IN FACTO, (circumstantiae impro- prie dictae), quorum pars occasio, et circumstantiae (proprietate dictae) M. §. 343. Ignorantia vel error totalis vel partialis circa varia facti quaecunque, **IGNORANTIA ET ER- ROR FACTI**, circa varia facti in imputatione non attendenda **EXTRAESSENTIALES**, circa momenta in facto, **ESSENTIALES** sunt. Indagationes variorum facti sunt **QUAESTIO- NES FACTI**, variorum in imputatione facti non attendendorum **EXTRAESSENTIALES**, momentorum in facto **ESSENTIALES**. Enumeratio momentorum in facto est **SPECIES FA- CTI** (factum). Hinc imputaturo prodest species facti, non quaestionibus quidem facti extraessentialibus distenta, tamen vbe-

rior, vnde cognosci pos sit, 1) an data determinatio omnino contigerit. Exist entia delicti cum signis suis est CORPUS DELICTI. 2) an data determinatio factum sit, 3) quale, 4) quantum, 5) cuius, 6) quantum ab eo, 7) quantum ab eius libertate de pen deat, 8) a quibus, 9) quibus legibus sub sumendum sit. Quamdiu 1) existentia facti, e. g. corpus delicti, 2) aut persona eius auctor, aut 3) illius ab hoc dependen tia omnino ignoratur, imputatio facti est impossibilis. §. 127.

§. 129.

Facta omnia humana gradus et quanti tates admittunt, M. §. 940, et cognitione ni, non solum philosophicam per probationes, eas etiam, quae praesertim res facti stabi liunt, per testes, sed etiam mathematicam, M. §. 249, nobilem mathe seos intensorum partem. Hinc factum, siue meritum, siue demeritum sit, §. 106, 115, metiri M. §. 291, praesertim valorem meriti aestumare, M. §. 337. et demeriti gradum noxae s. detri menti, (damni) M. §. 336. qui quum tan tus sit, quantus sublati per noxium boni valor, nonnunquam etiam valor noxae, detrimenti, damni dicitur, imputaturo fa ctum semper bonum, §. 127. non raro ne cessarium est, quando scilicet gradus in facto momentum est, §. 128 pro ratione le gis neces sarium, i. e. ad determinationes sub-

subiecti vel praedicati pertinet, de quibus lex certo facto applicanda loquitur, §. 125.

§. 130.

Facta humana omnia habent quidem aliquam inter se similitudinem et conuenientiam s. identitatem, M. §. 265. duo tamen quum faciunt idem, nunquam est totaliter idem, M. §. 269. nec factum vnius vnuquam totaliter aequale facto alterius, M. §. 272. Tantum ergo abest, ut peccata omnia sint totaliter aequalia, ut potius nec male, nec benefacta plurium vlla, nec eiusdem vlla personae bene vel male facta nonnihil dissimilia aut heterogenea, M. §. 267 sint totaliter aequalia. Quum tamen omnia gradus admittant, §. 129, admittent quasdam horum inter se rationes, et rationum identitates M. §. 265, seu proportiones, M. §. 572. sicut eorundem disproportiones, M. §. 573. ad quarum indaginem, §. 129. imputaturo non parum opus erit perspicaciae, M. §. 573, nec contemendarum aliquando subtilitatum M. §. 576.

§. 131.

Quae non sunt liberae determinationes non sunt facta, M. §. 940. Ergo in iis nec imputatio facti, nec legis locum habet, nec in meritum, nec in demeritum, §. 125. Absolute necessaria, coacta per violentiam externam simpliciter talem, coacta interne et physice, sed simpliciter, physice necessaria

saria et impossibilia, sed simpliciter, impotentia mere naturalis, M. §. 469, actiones mere naturales M. §. 708. facta non sunt, hinc non imputantur, §. 50. RES PRORSUS INEVITABILES (inuincibiles) sunt, quarum impedire existentiam vel absolute impossibile, vel simpliciter supra auctoris aliquius potestatem positum est. Hae quum omnino non sint, nec fuerint auctori illi liberae ratione exsequutionis, M. §. 708, nec ille has potuit appetere, vel auersari pro lubitu, M. §. 712, ergo nec libere, M. §. 719. Vnde hae res prorsus inevitabiles facta non sunt, nec imputabiles.

§. 132.

Res fortunae, s. fortuita, qua talia M. §. 912. prosperitas, M. §. 787, miseria, M. §. 788, infortunia M. §. 912, quatenus non sunt facta subiecti, cui accidunt, non sunt eidem imputabilia, §. 131. DELICTUM FORTUNAE si dicatur malum morale s. peccatum, in quod auctor sola fortuna mala coniectus fuerit, et MERITUM FORTUNAE si dicatur bonum morale, ad quod praefundum aliquis sola bona fortuna peruerterit, implicant, M. §. 788. 787.

§. 133.

Omnne factum habet sua consecaria in indefinitum per omnes status mundi succedentes, §. 32 M. 489, vel bona, vel mala, M. §. 790. Haec, quatenus se ad ea per

per facti commissionem actuanda, vel per facti omissionem impedienda libere determinare in potestate auctoris positum fuit, sunt CONSECTARIA FACTI libera, M. §. 719, quae dicamus MORALIA M. §. 723. Haec autem sola auctoribus facti imputabilia sunt §. 131. M. 940. Ergo nec vlla, nec omnia factorum consectaria possunt illorum auctoribus imputari, sed moralia. Iam autem ad aliquid actuandum vel impedientium nos libere determinare non est in potestate nostra positum, nisi sit in potestate nostra positum 1) illud praeuidere 2) aliquo nostro nisu vel actuandum vel impediendum praesagire 3) intueri ut bonum malumue, et haec quidem 4) saltim ex parte distincte. M. §. 712, 719. Ergo consectaria factorum moralia non sunt, nisi quorum in potestate nostra posita sunt 1) praeuifio, 2) eorum vllis nostris viribus actuandorum vel impediendorum praesagium 3) intuitus, vt bonorum vel malorum, eaque 4) saltim ex parte distincta. Ergo factorum consectaria, 1) quae praevidere simpliciter supra potestatem auctoris positum fuerat 2) quae forsan praeuidere poterat, sed simpliciter supra potestatem ipsius positum fuerat praesagire, an vllis suis viribus actuanda vel impedienda sint, 3) quorum forsan et praesagium eiusmodi assequi poterat, sed nullum simpliciter.

ter intuitum, ut bonorum, vel malorum,
 4) quorum tandem et hic intuitus forsan
 ab auctore obtineri potest, sed haec qua-
 tuor omnino sine omni distinctione, ita
 ut vel aliqualis eorum conceptio sit simpli-
 citer supra potestatem eius posita, auctori
 factorum, quorum haec sunt consectaria,
 imputari non possunt. §. 131, 125.

§. 134.

Auctori facti recte imputatur facti effe-
 tus §. 125. M. 940. hinc non immediatus
 solum et cuius patens, sed mediati etiam
 et cryptici, et omnes in omni intensione
 sumti, s. pleni M. §. 330, neque tamen, ni-
 si morales, hinc praeuidendi dictis modis
 §. 133, quum reliqui descendant quidem e
 facto, sed non quatenus est determinatio
 libera, hinc et ab auctore, sed non quate-
 nus est libere agens, M. §. 940. Iam autem
 pone determinationem aliquam A certae
 personae esse (pro nunc et sic) certo in sta-
 tu physice secundum quid impossibilem
 et supra potestatem ipsius positam. Pone
 porro hanc ipsam impotentiam physicam
 secundum quid tales esse consectarium
 morale praegressi alicuius facti alterius B,
 §. 133, ex qua sequuturam omissionem de-
 terminationis A dicta persona praeuidere
 secundum §. 133, poterat. Hic auctori fa-
 cti B et impotentia ipsius naturalis secun-
 dum

dum quid talis, et inde sequens omisso determinationis A recte imputatur, §. 133.

§. 135.

Pone rem certae personae (pro nunc et sic) certo in statu ineuitabilem A, ita, ut eius existentiam impedire secundum quid sit supra ipsius potestatem positum. Pone tamen porro hanc impotentiam secundum quid naturalem esse consectorium morale praegressi alicuius facti alterius B, et ex ea sequuturam non impeditio rei A praevideri ab auctore potuisse dictis modis §. 133, auctori facti et ipsius impotentia naturalis, et inde sequens non impeditio rei A recte imputatur, §. 134.

§. 136.

Ex eo, quod aliquis certa factorum suorum consectoria non praevidebat secundum §. 133, et vere dicere potest: non putaram, non sequitur, illa eidem non esse imputabilia, sufficit, si ea dicto modo praevidebantur in potestate ipsius positum. Immo pone certum facti alicuius consectorium A ita esse comparatum, ut illius requisita §. 133. praevisso (pro nunc et sic) in certo statu certi auctoris sit supra potestatem posita secundum quid. Pone tamen porro hanc impotentiam dictae praevisionis secundum quid naturalem esse consectorium morale alterius facti praegressi B, ex quo debitibus modis praevidebantur auctor potuisse

sequuturum, ut A sit improbusum. Tunc ipsa haec praevisionis impotentia et conjectarium facti A propter ipsam improbusum auctori facti prioris B recte imputantur, §. 133.

§. 137.

Imputatio; sicut omne iudicium, hinc tam legis, quam facti, vel est vera, vel erronea, §. 125. Sicut tamen non omnis vera, a potiori si denominetur, exacta est: ita potest etiam erroneae multum inesse veri. Est vel methodica, vel tumultuaria, M. §. 515. Est vel obscurior, vel viuidior, vel distinctior. Est vel precaria, §. 88, vel PERSUASIO, et haec aut **ONO SIGNIFICATU**, certitudo sensiria, aut **MALO**, opinio pro certitudine habita, vel CONVICTIO, certitudo intellectualis et rationalis, vel accurate probans, quantum eius pro substrata materia fieri potest ac debet, SOLIDA, vel nec in tantum quidem accurate probans, SUPERFICARIA, vel certa, vel incerta, et haec vel probabilis, vel dubia, vel improbabilis §. 28, vel euidens, vel ineuidens, M. §. 531, vel iners et vana, vel mouens et pragmatica. Quo verior, quo exactior, quo minus tumultuaria, quo clarior, quo distinctior, quo certior, quo solidior, quo euidentior, quo ardentior, hoc melior est imputatio. M. §. 669.

§. 138.

§. 138.

In imputatione facti quum vna ex primis quaestio facti sit, an datum factum omnino contigerit, aut de eius existentia singulari, §. 128, 127. erroneam imputationem cauturus §. 137. caueat 1) ne interne impossibilia cuiquam, tanquam facta imputet, M. §. 58, si vel maxime multitudo, dexteritas, sinceritas, testium videatur absolute incredibilibus eiusmodi rebus probabilitatem fidei conciliare, §. 129. 2) ne ea, quae ab ipso interne impossibilia per praeципitantiam iudicantur, multo minus, quae sic certae personae physice impossibilia, saltim secundum quid supra potestate in ipsius posita putantur, quum reapse forsan tantum difficultia sint, M. §. 527, minime, quae eodem modo habentur pro moraliter datae personae impossibilibus, ideo statim, tanquam non facta, reiiciat, et inde ab ulteriori eorundem imputatione abstineat. M. §. 469, 724.

§. 139.

Imputationem erroneam cauturus, §. 137 caueat 3) ne a quacunque possibilitate facti, etiam hypothetica, physica, vel morali, statim ad eius existentiam concludat, M. §. 723. Non omnia quomodo cunque in potestate nostra posita fuscipimus, nec omnia, quae licent, praesertim per aliquas tantum leges. Minime omnium ab interna

na possilitate sufficienter deduci potest eam factam esse, M. §. 59, 4) ne aliquorum momentorum in facto veritate cognita iam integrum suam imputationem veram putet, quum nihilo minus errare possit in reliquis nondum examinatis quaestionibus facti essentialibus, §. 128.

§. 140.

Felicius imputaturus praeter obseruata huc usque §. 138, 139. 5) ne imputationem legis et facti confundat, et a posteriori bene incipiet, quia alias saepe prior erit actus frustraneus, quando posterior post-hinc tentata demum deficiat, §. 125, 6) quum obscuritas et confusio sit mater erroris, in tenebris et luce maligna cautius procedat, 7) bene distinguens, bene imputabis, 8) viuiditatem et nitorem immo distinctionem ipsam, qua res, quae factum esse supponitur, vel pingitur, vel etiam euolutur, ne cum conscientia claritate et luce veritatis ipsius confundat male persuasus, 9) ne ideo, quia dati facti imputatio complete et scientifice certa fieri nequit, s. non est mathematice demonstrabilis, omnem eius soliditatem negligat superficiarius.

§. 137.

§. 141.

Obligandi obligamur intendere liberam determinationem §. 15. M. 342, i. e, ad eam nobis constituendam pro fine actuandam.

M.

M. §. 341. Ergo obligatus obligatur ad praestandum illius ad quod obligatur, omnimodam determinationem, M. §. 148. quantum haec ipsi physice et moraliter possibilis est, §. 10. Ergo obligatus ad aliquid simul obligatus ad ea omnia ipsi physice et moraliter possibilia, antecedentia, concomitantia, consequentia, sine quibus datum officium existere non potest §. 83. Iam autem facta sine personae, quae ad ea obligatur, appetitione efficaci existere non possunt, M. §. 675, nec illae determinationes liberae M. §. 723. Ergo obligationes et leges omnes, obligantes ad aliquid personam, obligant eandem ad huius appetitionem efficacem. Quinque obligatus ad libere actuandum aliquid obligetur ad tantam eius appetitionem, quam ad eiusdem productionem requiri ipse iudicat obligatus, M. §. 719; 712. obligationes et leges possunt appetitiones eorum, ad quae committenda obligant, plenas, M. §. 671. et obligantes ad volendum obligant ad decreta, volitiones consequentes et propositum, M. §. 696. Ergo mera complacencia, M. §. 655. merae appetitiones, immo volitiones, minus plenae, et antecedentes tantum (velleitates) illius, ad quod lex obligat, eidem non satisfaciunt, §. 22. M. 695.

§. 142

§. 142.

Obligatus obligatur ad id, ad quod obligatur, plene appetendum, §. 141. In obligatione dubia autem obligaretur ad opposita aequaliter, plene tamen, appetenda. Quod quum sit physice, et id quidem simpliciter, impossibile, M. §. 673. ad physice autem impossibilia, si simpliciter fuerint talia, nemo obligetur, §. 24, 27. neutri obligationum dubiarum satisfaciendum est. §. 22, adeoque nec legi obligationis dubiae §. 63. Haec lex §. 60, quum ex natura et per naturam pateat, naturalis est, §. 39, 63. Ergo obligationem dubiam (vere talem) sequens transgreditur legem naturalem, §. 83.

§. 143.

Obligatio est aut complete certa, aut probabilis, aut dubia, aut improbabili. §. 28. Iam dubiam sequi non licet, §. 142. Haec autem melior est improbabili, M. §. 669. Ergo multo minus sequi licet obligationem improbabilem. §. 70, vere nullam, quia opposita probabilis semper est fortior, §. 23, 17. Hinc non nisi complete certae aut probabili obligationi satisfaciendum est. MORALITER CERTUM est, non complete quidem, eo tamen in gradu certum, ut assensus tali asserto praeberi moraliter possit. Ergo obligationi non nisi moraliter saltim certae satisfaciendum est, quique aliquid com-

committit, vel omittit, ad quod committendum vel omittendum se obligari ne moraliter quidem certus est, peccat. §. 142.

§. 144.

Imputatio, vel facti, vel legis, §. 125, dubia vel improbabilis, nunquam est recta, §. 137, 143. Hinc recte imputaturus, factum etiam, 10) saltim moralem certitudinem quaerat, §. 70, non quacunque verisimilitudine, quae dubiorum etiam, immo improbabilium potest esse, §. 28, vel CONJECTURIS, insufficientem assensus rationem continentibus contentus, M. §. 901. Data completa sunt hic momenta in facto ad imputationem, saltim moraliter certam, sufficientia. His pauciora et minora sunt incompleta. Recte imputaturus non nisi ex datis completis imputabit §. 128. CONCEPTUS DETERMINATIONIS MORALIS SUFFICIENTER DETERMINATUS dicitur eas eius notas exhibens, ex quibus, moraliter saltim, certus reddi possit, an sit bona, an mala; tales notas non exhibens est NONDUM SUFFICIENTER DETERMINATUS. Imputans factum, ad imputationem legis ut progredi possit, priorem actum non recte absolutum putat, nisi idea facti sufficienter determinata, §. 125, 139.

§. 145.

Recte imputaturus 11) impartialis esto, §. 144. M. 917. Quumque ad ea, quae hucusque vidimus requiri ab imputaturo, non ratio

ratio solum, sed et multus rationis usus perutilis sit M. §. 640, 646, feliciter imputaturus 12) ratione eiusque usu polleat. Iam autem affectus liberum rationis usum impedire vehementer solent. M. §. 678, 693. Hinc imputaturo rectius multum prodest 13) imperium in semetipsum, fugienda feruitus moralis, M. §. 730. et abstinendum ab omnibus affectus rectae imputationi contrarios excitaturis.

§. 146.

Quum omnis determinatio libera cum antecedentibus, concomitantibus, consequentibusque suis, personae physice et moraliter possibilibus, sine quibus data determinatio existere non potuisse, §. 141, et omnibus suis consectariis moralibus, §. 133, sit imputabilis, §. 125: non soli actus animae eliciti, sed omnes etiam imperati, M. §. 730, non ea solum, quae directe libertati subsunt, sed etiam, quae indirecte, M. §. 731, ipsique motus corporis arbitrarii, voluntarii, ad quos se libere determinare fuit in hominis potestate positum, M. 733 sunt imputabiles, §. 125.

§. 147.

Cogitatio omnis, M. §. 505, immo ipsae obscurae repraesentationes gradu differentes, M. §. 511, ignorantia, error, cognitio cum suis gradibus; M. §. 515, 669. attentio et abstractio cum suis speciebus M. §. 529, sen-

sensationes M. §. 543, et fallaciae sensuum, M. §. 545. ebrietas eiusque fructus, M. §. 554, ipsa mors, M. §. 556. phantasmata, M. §. 569, somnia M. §. 593. et per somnum suscepta e. g. a noctambulis M. §. 594. rememorationes et obliuia M. §. 582. fictio-nes, M. §. 590, ipsa deliria M. §. 594. et a deliris, melancholicis vel furiosis patrata, M. §. 688, praeuisiones, M. §. 602. iudicia quaecumque, M. §. 606, praesagia, M. §. 610, praesumtiones, M. §. 612, intuitus et significationes M. §. 620. intellectus opera-tiones omnes, M. §. 624. attentionis inten-sio, extensio, protensio, M. §. 628, ratio-nis sanitas, corruptio et cultura M. §. 646. indifferentia, M. §. 651. voluptates et tae-dia, M. §. 655. instinctus et fugae M. §. 677, affectus, M. §. 678. lubitus, M. §. 712, quae et quarenus 1) actus animae imperati sal-tim indirecte subsunt libertati M. §. 730. 2) antecedentia, concomitantia, consequen-tia sunt decreti, huius auctori physe moraliterue possibilia, §. 141. sine quibus res decreta exsistere non potest, quaeque adeo rei exsistentiam decernens simul de-creuit M. §. 55, 3) conseptaria factorum praeuidenda sunt dictis modis §. 133, licet non semper praeuisa §. 136, 4) eodem mo-do praeuideri poterant certis factis vel com-missiuis, vel omissionis impedienda, §. 133,

135. sunt imputabilia §. 146. neque tamen ideo a quocunque. §. 144.

§. 148.

Determinationes non liberae, immo id in factis ipsis, praesertim magis compositis, M. §. 215, quod morale non est, etiam si in aliquibus cum facto conueniat, illi similius, non tamen habendum est pro vero facto, hinc illius consectetur bonum nullum est verum praemium, §. 113. malum nullum vera poena est. §. 122, nec de tali determinatione vel actione vlla lex (moralis) quicquam enunciat, §. 61. nec adeo similior officio eiusmodi actio legem seruasse, eiusque habitus custodia legum, nec determinatio non moralis laesioni cunctaque similior vera laesio, aut transgresio violatioue legis dici potest §. 83. Ergo distinctio leges violentium in moraliter et non moraliter violantes nulla est. Si vel maxime quaedam lex malum decernat inferendum patrantibus talia, quae laesioni similia sunt, sed non moralia, non tamen eiusmodi declaratio est sanctio penalnis. §. 120.

SECTIO

SECTIO VIII.

A U C T O R.

§. 149. •

In imputatione facti praeter ipsum factum attendendus est auctor, qui quum esse debeat persona §. 127. nullis agentibus, quae non sunt personae, quicquid agant, imputabile est. Hinc nullae actiones brutorum M. §. 795. ipsis imputabiles sunt, nec ea villa ratione leges (morales) vel seruare, vel violare vere dici possunt, nec mala ipsis certas eorum actiones ex voluntate legislatoris sequentia poenae, nec bona praemia accurate dici possunt. §. 148. Quae tamen actiones brutorum et quatenus 1) praeuidendae fuerunt dicto modo §. 133, homini, et ita quidem, ut ad eas per factum suum vel commissium, vel omissionem actuandas vel impediendas fuit in dicti hominis potestate positum se libere determinare, etiamsi sint effectus talis facti satis mediati, §. 134, et homo in certo statu versetur in impotentia naturali, sed imputabili, earum vel actuandarum, vel impediendarum, §. 135, nec tandem praeuisae sint, immo in certo statu ne praeuideri quidem poterant, ob impotentiam tamen imputabilem, §. 136. 2) sunt antecedentia, concomitantia, vel consequentia certi decreti,

creti, quae producere, vel impedire fuit auctori decreti physice moraliterue possibile, sine quibus autem res decreta exsistere non potuit, sunt homini, sunt personae, cuius cum facto dicta ratione connectuntur, imputabiles, quum accuratius ipsi suus concursus vel commissiuus, vel omisissiuus ad easdem imputari possit. §. 147.

§. 150.

Facti, praesertim magis compositi, auctor aut est solitarius, aut plures ad illud concurrunt. Concurrentium ad factum auctorum aut unus obseruatur principalis, reliqui secundarii, aut minus, M. §. 314. aut coordinati sunt sibi inuicem, aut subordinati, aut coordinati subordinatique simul, M. §. 315. Si causa moralis striete dicta omnino idem intendat, quod auctor ipsi subordinatus, M. §. 940, hic illi essentialiter subordinatur, et quod quis ita per alium facit, id ipse fecisse putandus est. M. §. 316, 317.

§. 151.

Auctores sunt vel causae efficientes, vel deficientes, M. §. 940, 319, et illi commisionum, hi omissionum videntur, §. 31. vere auctores officiorum aut bonorum moralium efficientes, peccatorum, qua talium, deficientes sunt. §. 124. Auctori socio et iuuanti M. §. 320, 321, etiam personae instrumentalis administrare, M. §. 322, et

occasionali, M. §. 323, factum imputari potest, §. 150.

§. 152.

Si plures eiusdem facti auctores iudicantur, aut singula etiam momenta in facto singularis, aut quaedam ex iis huic, quaedam alii imputantur tantum. §. 125, 128. In priori casu FACTUM IMPUTATUR PRO INDIVISO, DIVISIM in posteriori. Si quis concurrit ad factum cum aliis; sed ut causa efficiens vel deficiens tantum ad euentum, non ut auctor ad factum, potest eius, quatenus est euentus, esse causa occasionalis, instrumentalis et administra, immediata, immo principalis etiam, §. 150, 151. neque tamen idem, qua factum est, M. §. 940, illi imputari vlla ratione potest, ne diuisim quidem, §. 125.

§. 153.

Si quis non causa solum efficiens, sed etiam auctor, variorum alicuius facti, non externorum solum, s. relatiuorum, sed internorum etiam fuerit, neque tamen, nisi extraessentialium: huic imputari quidem factum, sed illud non potest, de cuius imputatione iam quaeritur, §. 128. Si auctorum sociorum quilibet quorundam tantum momentorum in facto auctor physicus, quatenus contradistinguitur causae morali stricte dictae, et immediatus fuerit, ita tamen, ut reliquorum momentorum in facto simul causa moralis stricte dicta fuerit;

fuerit, adeoque priora sint effectus eius immediati morales, reliqua facti ab eodem consecaria moralia, §. 133, 134 factum recte imputatur cuius pro induiso. §. 152. Quam primum autem vel vnicus sociorum vel ad vnicum tantum momentum in facto ne moraliter quidem concurrit, multo minus ut auctor physicus et immediatus, M. §. 960, imputatione exacta factum diuisim tantum imputandum est. §. 137.

§. 154.

Quum in omni facto humano, siue bonum a potiori, siue malum eo significatu dicitur, sit materiale bonum, et formale finitudinis malum, M. §. 914; pone aliquem ad factum bonum immediate vel moraliter concurrere, tanquam auctorem, sed tantum ad eius negationes et mala cum eodem connexa, factum diuisim §. 153, ipsi etiam, sed non ut bonum, imputandum est. Pone alium ad factum malum immediate moraliterue concurrere, sed, quantum obseruari ab imputante potest, tantum ad bona momenta in facto, ad eiusdem materiale referenda, M. §. 914. factum diuisim §. 153, ipsi etiam, sed non ut malum, imputandum est. Hinc ad malum a potiori dictum, moraliter etiam, concurrens, bene, et ad bonum a potiori dictum, etiam moraliter, concurrens male egisse nonnunquam exacte imputanti censendus est. §. 137.

§. 155.

§. 155.

Iubens est causa, moralis stricte dicta illius facti, quod iusfit, §. 100. M. §. 940. Hinc factum, quod et quatenus iusfit, est ipsi imputabile, §. 150. Immo si iusserit quaedam tantum momenta in facto, prauidenda tamen alia eorumque conjectaria, simul intendit, haec cum omnibus iusionis conjectariis ab eodem libere determinabilibus, ipsi recte imputantur, §. 133. Momenta autem in iusso facto, eorumque conjectaria, quae non iusfit, non intendit, quaeque non fuerunt ab ipso libere determinabilia, iubenti exacte imputari non possunt. §. 154, 153. Par ratio consulentis, CONSEN-TIENTIS i. e. idem decernentis, quod alter, allicientis. M. §. 728, 940.

§. 156.

Causa occasionalis, et si quis rei per factum alienum quaesitae partem suam facere intendit, §. 93. aut libere intendit simul factum ista occasione patrandum, vel quo res quaerenda erat, qua singula momenta, et imputari ipsi potest pro indiuiso, aut qua quaedam momenta, aut imputari ipsi factum saltim diuisim potest §. 153, 154. aut tandem ad momenta in facto prorsus non libere concurrit, et tunc factum illud alienum cui occasionem dedit, aut quo res quaesita est, de qua participare voler, illi imputari non potest. §. 153.

§. 157.

Factum aliquod non impediens moraliter, non physice, M. §. 967, 968. e. g. non manifestans, aut ideo haec omittit, quia consentit in factum, de quo quaeritur, et dijudicandus est, ex §. 155. aut quia prorsus non consentiens, vel omnino dissentiens a momentis in facto, interim tamen vel physice, omnino vel moraliter non potuit impedire vel manifestare. Tunc hae omissiones recte facta sunt. §. 72. M. 901. Hinc non impedita non manifestata male facta, qua talia ab his recte factis dependere non possunt, §. 32. Dependerent tamen, si ob dictas omissiones male factum recte posset omittentibus imputari, ut causis moralibus stricte dictis. M. §. 940. Ergo talia male facta dicto in casu non possunt non impedientibus, non manifestantibus imputari, ut causis moralibus stricte dictis. Multo minus, ut tali causae possunt imputari peccata illi, qui 1) praevidebat omnia 2) physice impedire omnia in sua potestate habuit, 3) moraliter impediuit omnia, 4) physice etiam pleraque, sed 5) quaedam physice impedire moraliter, ob sapientiam non potuit. M. §. 969, 970.

§. 158.

Omnis et solae determinationes liberae sunt imputabiles §. 125, ad omnes et solas determinationes liberas locum habet obligatio,

gatio, §. 15, 72. Ergo ad quae et in quantum aliquis obligari potest, ea et in tantum eidem imputari possunt. Quae et in quantum alicui imputari non possunt, ad ea et in tantum non potest obligari. Quae et in quantum alicui imputari possunt, ad ea (vel omittenda, vel committenda) et in tantum obligari potest. Ad quae et in quantum aliquis obligari non potest, ea et in tantum eidem imputari non possunt. Actiones iniuitae per ignorantiam vel errorem, M. §. 716, 1) liberae, M. §. 719. 2) consecutaria ignorantiae vel erroris imputabilis §. 147. moralia §. 133, auctori recte imputari possunt. §. 125.

SECTIO VIII.

GRADVS IMPVTABILITATIS.

§. 159.

Quum in facto, quatenus euentus est, §. 127, non sit imputabile, nisi morale, §. 158: imputabilitas facti minima esset, cuius paucissima minima varia leuissime a libertate penderent, M. §. 161. Quo ergo plura facti varia, quo maiora, quo magis a libertate pendent, hoc maior eius est imputabilitas. M. §. 160. Quoniam autem essentialium, attributorum, modorum, qua-

G 5 litatum

litatum quantitatumue et graduum in persona quacunque nexus est vniuersalis. M. §. 49, 50: quo maior est libertas personae, M. §. 725, quo maior acquisitus habitus imperii in semet ipsam, M. §. 730. hoc magis facta eius omnia a libertate eius pendent, hoc ergo magis ipsi sunt, caeteris paribus, imputabilia. Habes nouum campum cognitionis mathematicae in factis, §. 130. Facta libera ratione exsequutionis, sibi inuicem opposita, vel sunt vtraque indifferentia, qua exercitium actus, M. §. 708, et caeteris paribus aequae imputabilia sunt, vel vnum est altero difficilius, M. §. 527, et difficilioris commissio magis, omissione minus, facilioris commissio minus, omissione magis est imputabilis, caetera si fuerint paria. §. 134.

§. 160.

Si factum pauciora, minora, difficilius praeuidenda consectaria moralia bona habuerit, eius commissio magis, omissione minus imputabilis est. Quod pauciora, minora, difficilius praeuidenda consectaria moralia habuerit mala, eius commissio minus, omissione magis imputabilis est. Quod plura, maiora, facilius praeuidenda consectaria moralia bona habet, eius commissio minus, omissione magis imputabilis est. Quod eiusmodi consectaria mala habet, eius commissio magis, omissione minus im-

pura-

putabilis est. Quo plus est in facto fortuiti, hoc minus, quo minus est in facto fortuiti, hoc magis est imputabile §. 159, 132. Factum mediatus tantum et cryptice pendens a libertate, minus, immediatus et manifesto inde pendens, magis imputabile est. Facti naturaliter, sed tantum secundum quid, impossibilis, commissio magis, omissione minus imputabilis est. §. 134. Sed haec omnia caeteris paribus §. 159.

§. 161.

Res secundum quid ineuitabilis imputabilis tamen ex §. 135, minus est imputabilis, quam si ne talem quidem ineuitabilitatem habuisset. §. 160. Si certi facti conlectaria moralia praeuisa non sunt, immo secundum quid naturaliter praeuideri non potuerunt, illud minus imputabile est, quam si aut praeuisa fuissent, aut potuisserent saltim, dicta etiam ratione, praeuideri, §. 136. Quae prorsus non sunt imputabilia iis inepite magnus meriti demeritue gradus assignatur, et de imputabilitatis eorum gradu frustra disputatur. Quibus certus imputabilitatis gradus recte dengatur, ea non ideo statim habenda sunt pro omnino non imputabilibus, §. 138. Ab imputabilitate facti quacunque ad certum eius gradum maiorem non valet consequentia. Hinc priorem probantia non statim

statim arripienda sunt, ut argumenta posterioris, §. 139.

§. 162.

Quo difficilior, quo minus culta huc usque mathesis intensorum est, hoc cauti-
tius in gradu imputatiuitatis determinan-
do procedendum est, 1) ne gradus mora-
litatis certa lege determinatus, forsan in-
signis, temere confundatur cum gradu im-
putabilitatis in facto, quod cum data lege
comparatur. M. §. 626. 2) ne gradus clari-
tatis in perceptione facti vel boni, vel ma-
li, confundatur cum gradu imputabilitatis
eidem tribuendae 3) ne gradus boni mali-
que generatim in euentu, qui partialiter
factum est, cum gradu imputabilitatis in
facto confundatur, 4) ne gradus viuidita-
tis, qua suppositum imputabilitatis gra-
dum intuemur, cum gradu conscientiae de
veritate ipsius, s. certitudinis confunda-
tur, §. 140.

§. 163.

Potest imputabilitas facti, saltim mora-
liter, certa esse, et tamen ne sic quidem
gradus eiusdem, §. 162, hinc non cuius
recte imputanti etiam factum ipsum de
hoc decidens iudicium ferre licet. §. 144.
Quumque affectus soleant augere falso
splendore obiecta sua, ab his rectae impu-
tationi contrariis praesertim cauendum est
imputabilitatis gradum constituturo. §. 145.
Tuac

Tunc inter alia patebit actus animae imperatos, quaeque libertati subsunt indirecte, caeteris paribus, minus imputabilia esse, quam actus eiusdem elicitos et quae directe libertati subsunt, §. 160, 146, et bene applicabitur hoc principium ad enarrata §. 147.

§. 164.

Sicut coactorum ab extra, vel ab intra, sed absolute, ne minimus quidem est imputabilitatis gradus, §. 131, 161. ita facta, ad quae me ipse cogere dicor, et cogi ab extra, sed secundum quid, M. §. 727, 728, sunt imputabilia §. 125. Facti, ad quod coactione mei ipsius opus est, commissio magis, omissione minus imputabilis est, §. 159, 160, quia tale superpondium, quale me cogendo producitur a me ipso, multa, grauita, per actus animae vel omnino elicitos, et effectus libertatis immediatos, vel saltim minus mediatos actuanda postular M. §. 713, 714. et maiorem libertatem, maius hominis in se ipsum imperium, §. 159. M. 730. Facti, ad quod coactio externa, sed secundum quid, tentatur, commissio minus, omissione magis imputabilis est, quia omitti sine coactione mei ipsius non potest. M. §. 714. Facti inuiti per ignorantiam vel errorem commissio minus, omissione magis imputabilis est, §. 159.

110 C. II. S. VIII. GRADUS IMPUTABIL.

§. 165.

Si quis factum inuitus patrauerit, ex hoc solo ne gradus quidem imputabilitatis minuitur semper §. 164, multo minus omnis imputabilitas tollitur, §. 161. Hinc nec ex eo, quod euentus inuoluntarius dicitur, negari potest eum esse factum, et imputabile, M. §. 721. Sunt potius quedam inuoluntaria, quae non possunt non imputabilia esse, M. §. 722. Immo inuoluntarium aliquid esse solum ne minuit quidem semper gradum imputabilitatis, quum posset augere eundem aliquando. §. 164. *Inuoluntarium artum ex voluntario tanquam consequarium morale, est imputabile* §. 133, et eatenus *habetur pro voluntario*. Par ratio est volitionum nolitionumque, praefertim plenorum et consequentium M. §. 695 licet inefficientium, M. §. 675; quae MERITA vel DEMERITA CONATUS dici possunt. In his enim inefficientia, quum saepe sit mere fortuita, ne minuit quidem semper imputabilitatem §. 132.

§. 166.

Habitus morales M. §. 723, et consuetudines eiusmodi, M. §. 650, et per has illosque praefits, uti harum illorumque defectus propter libere omissum exercitium harum illorumque causam, et horum defectuum consequaria moralia facta omisiua §. 133, quum sint consequaria libera-

C. II. S. VIII. GRADUS IMPUTABIL. III

rum determinationum moralia, et consequentia, sine quibus exercitium actionum eiusmodi, aut omissio huius exercitii existere non potest. M. §. 577, imputabilia sunt. §. 142. Quo plurimum, quo grauiorum, quō magis a libertate pendentium conjectaria sunt, hoc magis sunt imputabilia, §. 159. Iam ad contrahendam consuetudinem moralem crebrius exercitium requiritur, quam ad dispositionem aliquam, habitumue minorem acquirendum, M §. 650, 577. Ergo tantum abest, ut in consuetudinario, quod per consuetudinem patratur, semper sit ratio, nisi nullius, minoris tamen imputabilitatis, ut saepe sit in eo ratio ad contrarium.

§. 167:

Quum facta, imputabilia omnia, et omnia, in quae cadit obligatio, vel sunt actus animae eliciti vel imperati, §. 146. illa DIRECTE, haec MORALIA, dicamus PER INDIRECTUM M. §. 723, 731. illa IMPUTANTUR DIRECTO, haec PER INDIRECTUM, in illa cadit OBLIGATIO DIRECTA, in haec INDIRECTA. Hinc et HABITUS morales vel nascentur ex factis directe moralibus, saltim potissimum, et dicantur DIRECTO, vel ex factis maximam saltim partem per indirectum tantum moralibus, et sint PER INDIRECTUM MORALES. Illi magis imputabiles sunt, quam hi, §. 166, sicut omnia directe moralia ma-

gis, quam per indirectum talia, caeteris paribus, §. 160. Iam autem consuetudo etiam potest, saltim qua priorem et portionem partem, exercitiorum, ex quibus oritur, cum consuetudinariis directe moralis esse. Ergo nec ex ea ratione consuetudini consuetudinariisque potest omnibus minor imputatiuitatis gradus tribui, ac si semper essent, morales si fuerint, per indirectum tantum tales. §. 159.

§. 168.

INFIRMITAS HUMANA est impotentia naturalis actuandi in liberis suis determinatiōnibus certum gradum rectitudinis. Ergo est vel simpliciter et absolute talis, vel tantum secundum quid. M. §. 469. Prior mere naturalis et defectus rectitudinis ex hac fluentes, qua tales, imputari non possunt prorsus ineuitabiles, §. 131. Pone tamen defectum eiusmodi nasci ex infirmitate humana secundum quid naturali, quae est consectorium morale facti alicuius progressi vel commissiui, vel omisiui, prauidendum secundum §. 133, tunc et ipsa talis infirmitas humana et inde natus defectus recte imputatur, §. 134. Quoque pluribus, quo grauioribus, quo magis a libertate pendentibus factis vel omisiuis vel commissiuis infirmitas eiusmodi humana praestata vel conseruata est, quo plures, quo grauiores defectus rectitudinis, ut consectoria

mo-

moralia post se trahit §. 159. hoc magis est imputabilis, §. 159.

§. 169.

FRAGILITAS (*lubricitas*) **NATURAE HUMANAЕ** est inclinatio, (*propensio, pronitas*) naturalis in malum morale, s. illa humanae naturae conditio, qua facile est hominem in malum morale impellere. Haec etiam vel absoluta esset, M. §. 964. non imputabilis, §. 131, vel hypothetica, et haec iterum vel mere fortuita non imputabilis illi personae, cui tribuitur, §. 132. M. 912. vel est *consectarium* morale alicuius facti, vel commissiui, licet forsan per *indirectum tantum* morale fuerit, §. 167. vel *omissiui*, cuius commissione impulsio in malum morale impedita, M. §. 22, 222, hinc saltim difficilior reddita fuisse, M. §. 527, et tunc eiusmodi fragilitas naturae humanae est imputabilis personae, cui tribuitur, §. 133, ex gradibus §. 168, declaratis.

§. 170.

Quum usus intellectus initia infinite parua et inobseruabilia soleant hominibus esse, difficulter ab iisdem exacte constituuntur infantiae termini, M. §. 639. Quam primum in infantis potestate simpliciter posatum est, circa quaedam saltim sese libere determinare, haec ipsius facta sunt, M. §. 719 ipsi imputabilia, §. 125. Quanquam ex his ipsis fontibus, ut ipsorum infantium,

H

ita

ita psychologice minorennum, simplicium significatu malo, mente captorum, melancholicorum, furiosorum M. §. 688. quae-dam actiones, tanquam facta §. 147. imputari possunt, §. 133, quum tamen minor sit talium hominum libertas, M. §. 725, 730. facta eiusmodi minus imputabilia sunt. §. 159.

SECTIO X. IMPUTATIO LEGIS.

§. 171.

Imputatione legis huic factum subsu-mens ratiocinatur. §. 125. Cuius ratioci-nium declaratum §. 103. dicatur SYLLOGIS-MUS IMPUTATORIUS. Ad huius perfectio-rem cognitionem, §. 137, regulae logico-rum syllogisticae nouum usum moralem M. §. 723, exhibent. Praemissarum eius maior lex, minor factum est. Sicut com-plexus obseruabilium circa eius minorem quaestiones facti, et circa minorem occur-rens ignorantia vel error facti sunt, §. 128, ita complexus obseruabilium circa leges, s. maiores syllogismorum imputatoriorum, sunt QUAESTIONES LEGIS (iuris), et error vel ignorantia circa haec ERROR vel IGNORAN-TIA LEGIS (iuris) est. Quaestiones legis in imputatione eiusdem non attendendae, et error ignorantiae circa has, EXTRAESSEN-TIALES sunt; quaestiones autem legis in im-puratione

putatione eiusdem attendenda, et ignorantia vel error in his, ESSENTIALES sunt.

§. 172.

Quicquid de imputatione in genere probatum est in anterioribus, valet etiam de imputatione legis. §. 125. e. g. Quo pluribus, quo fortioribus superioribusque legibus subsumit factum, hoc est, caetera si fuerint paria, perfectior. §. 127. Hinc naturalibus arbitrariisque simul, humanis diuinisque simul subsumendum legibus, bene subsumitur his singulis, §. 63. Non vera solum sit, sed etiam exacta, quantum eius fieri potest. §. 137. Vera autem erit, cuius syllogismus imputatorius verus est, nec in materia, nec in forma peccans, nec paralogismus, nec sophisma. Sophista in imputandis legibus est RABULA. Rabula in imputandis legibus naturalibus NATURALIS est, quo superiores et hae sunt M. §. 182, quo magis vniuersales, §. 72, hoc turpior.

§. 173.

Vt imputatio legis vera sit, non erronea, §. 172, 1) ne falsis legibus 2) ne talibus, in quibus committitur error iuris essentialis, §. 171. subsumatur 3) ne falsum factum 4) ne tale, in quo error facti essentialis committitur, 5) ne vitium formae committatur. Quumque ex veris (quasi) praemissis possint falsa vitiose inferri, 6) ne a veritate legis et facti sine vlla consequentiae

indagatione ad veram imputationem legis concludatur. Quoniam porro ex falsis vera legitime sequi possunt, 7) ne a sola veritate conclusionis in syllogismo imputatio ad veritatem imputationis legum securè concludatur, §. 172. Poteſt enim CONCLUSIO eſſe CASU VERA, vt̄ dicitur vera syllogismi falso (vel in materia, vel in forma, vel vtrīque peccantis).

§. 174.

Ne in imputatione legis vitium formae committatur, §. 173, 9) caueantur in syllogismis imputatoriis quatuor termini vitiosi, hinc 10) singula momenta in subiecto legis determinata ſint etiam in facto, proratione legis necessaria nec plura, §. 129, 128. 11) singula in praedicato legis determinata ſint etiam in conclusione syllogismi imputatori, nec plura, 12) gradus in lege determinati ſint iidem in facto et conclusione, §. 129. 13) factum, de quo minor praemissa, et de quo conclusio loquitur, ſit vnum idemque, 14) ne imputatio legis temere concludat ex meris particularibus, e. g. lege particulari. 15) ne temere ex meris negatiuis, e. g. tribuendo factis praedicatum, quod negauit lex de iis, quae de facto, de quo quaeritur, negari poſſunt. 16) ſequatur conclusio partem debiliorēm.

§. 175.

§. 175.

Ad cauendam imputationem legis erro-neam §. 173 caueatur 17) in enthymemati-bus imputatoriis ne, per rabularum forsan artifia, §. 172, omissa praemissa trans-mittatur sine examine, quum possit prin-cipalis esse. 18) ne inductionibus incom-pletis nimis fidas, e. g. quando prouoca-tur ad obseruantiam, 19) ne in hypotheti-cis a falso priore temere concludas ad ve-rum posterius, nec 20) a vero consequente ad verum antecedens, 21) ne in disiuncti-uis membrum disiunctionis possibile omis-sum sit, 22) nec plura possint simul poni, e. c. Quumque ratiocinatio imputatoria possit esse admodum compositae probati-onis, 23) eadem sollicitudo per prosyllo-gismos omnes continuanda est, quam epi-syllogismi veritas requirebat, §. 173, 174.

§. 176.

Vt methodica sit imputatio legis, §. 137, 172, praesertim cauendum est, ne quaestio-nes legis et facti confundantur §. 171. Quumque ad certitudinem conclusionis ex praemissis nanciscendam certitudo et omnium praemissarum, hic quaestionum legis et facti essentialium, §. 128, 171, et formae requiratur, omnia haec et singula recte legem imputaturo debent, saltim moraliter, esse certa. §. 143. Vnica praemissa vel forma dubia vel improbabili non nisi

nisi dubia vel improbabiliſ, hinc minus recta §. 144, erit imputatio legis, quia hoc etiam ſenu concluſio ſequitur partem de- biliorem, §. 174. Ne tamen dubium et aliqualiter incertum confundatur, §. 28.

§. 177.

HERMENEUTICA M. §. 349. vel eft GENERA- LIOR de cognoscendis quorumcunque signo- rum ſignificationibus, vel GENERALIS inter- pretandae orationis cuiuscunque, vel SPE- CIALIS regulas generalis ad certas orationis ſignorum et ſpecies applicans, e. g. ad re- uelationem ſtricte dictam, SACRA, ad ea ſigna, dicta scriptaque, quorum, ſignifica- tum et ſenſum noſſe iure conſulto, qua ta- li, neceſſarium eſt. e. g. legum, paſtorum, IURIS. Primum generalis hermeneuticae principium eſt: *Interpres* (reuerens) *aequus* eſto, s. ex pluribus SENSIBUS LITTERAE, i. e. repræſentationum ſeriebus, quae per uſum loquendi (lexicon et grammaticam) certa oratione ſignificari poſſunt, habeas pro VERO SENſU i. e. ea repræſentationum ſerie, quam auctor orationis ſignificare per illam intendit, eum ſenſum litterae, qui in- tentus cum perfectionibus auctoris opti- me conuenit, donec conſtet contrarium. §. 87. Hoc principium, vt adaequetur hermeneuticae generaliori, facile extendi- tur, et adaequandum huic vel illi specia- li pro ſubſtrata materia reſtringitur. §. 89.

§. 178.

§. 178.

Quum habitus imputandarum legum sit iurisprudentia, §. 125, 76. iureconsulti practici est, quam fieri potest optime §. 70, hinc solidissime, §. 137, adeoque ex probe perspectis rationibus legum, etiam moralibus, (ethicis, oeconomieis, politicis) et legalibus iuris naturae stricte dicti, §. 77, 65, non neglectis historicis et legum posituarum legalibus ex aliis legibus positiuis, §. 77. leges veras et genuinas §. 173, hinc leges positivas ita intellectas, ut legislator voluit intelligi, i. e. secundum hermeneuticam iuris, §. 177. applicare ad facta recte auctori imputata §. 125-170. Huc omnis iuris peritia, immo iuris scientia iureconsulti theoretici perfectior contendat oportet, §. 76. M. 669. IURISPRUDENTIA faciendorum est CONSULTATORIA, hinc nomothetica ferendarum legum, §. 105, brabeutica conferendorum praemiorum §. 112, punitiva inferendarum poenarum est consultatoria, §. 121.

§. 179.

Quemadmodum in diiudicandis consensus taciti, §. 155, 103, signis versatur aliquando hermeneutica iuris generalior, §. 177, ita in speciali legum posituarum interpretatione ex §. 177, nascetur principium primum, §. 87: *Eum in legibus positivis sensum litterae, qui cum regulis nomotheticis*

cis optime conuenit, si verus fuerit, pro vero et genuino babe, donec constet contrarium, s. no quam legem posituam sine necessitate interpreteris, uti caecam. Hinc enim, cur ratio legis attendenda, cur analogia iuris, cur tota lex inspicienda, cur parallelismus legum attendendus, cur interpretatio nunc declarativa, nunc abusiva, et haec vel extensiva, vel restrictiva, vel omnino correctiva esse debeat, cur fauorabilia aliter, aliter odiosa interpretanda sint, e. c. faciliter deducitur negotio, sed simul iurisprudentiae nomotheticae latior usus patet, quam qui in legibus tantum ferendis nouis comprehenditur §. 108.

SECTIO XI.

FORUM.

§. 180.

IMPUTATIO VALIDA est, a qua effectus lege determinati sufficienter pendent, a qua effectus lege constituti non sufficienter dependent, INVALIDA est. Status personae, in quo certa facta et leges valide imputare potest, est FORUM (tribunal). FACTA INTERNA (interna simpliciter) dicuntur, quantum in sola anima eueniunt, nullis signis per corpus, s. externis obseruabilia, EXTERNA autem ita harmonica, vt signis etiam

iam externis per corpus declarentur. FORUM EXTERNUM est, in quo sola facta externa solis externis legibus subsumi valide posunt. FORUM autem INTERNUM est, in quo facta etiam interna legibus etiam internis subsumi valide posunt.

§. 181.

FORUM, in quo dati facti subsumtio sub legibus valide fieri potest, est COMPETENS, reliqua INCOMPETENTIA. In quo foro 1) sunt leges, 2) moraliter saltim certe cognoscendae §. 176. ad certum factum 3) valide applicandae, cuius 4) cognitio 5) moraliter saltim, certa, §. 144, 6) valide in eodem foro fieri potest, ad illud forum datum factum pertinet, illud est respectu dati facti competens. In quocunque autem foro aut omnino non sunt leges, aut ne moraliter quidem certae, aut non, nisi inualide, ad datum factum applicandae, aut impossibilis dati facti cognitio, eaque saltim moraliter certa, aut non nisi inualide institui potest, ad illud forum datum factum non pertinet, illud est respectu dati facti incompetens, §. 180.

§. 182.

FORUM HUMANUM (soli) LATE DICTUM est status hominum, quo valide certas leges applicare possunt ad certa facta 1) sua propria, et hoc est FORUM CONSCIENTIAE §. 126, 180. 2) aliena, et hoc erit FORUM HU-

MANUM STRICTE DICTUM. In foro conscientiae facta etiam interna legibus etiam internis subsumi valide possunt. Hinc forum conscientiae est forum internum, ad quod facta etiam, officia, obligationes internae, §. 56, 83. pertinent, §. 181. **FORUM RATIONIS** est status hominum, in quo legibus per rationem sine fide cognoscendis facta per rationem itidem cognita subsumi valide possunt. Hinc forum conscientiae potest esse forum rationis, licet illud ad leges etiam non sine fide cognoscendas extendi posit. Forum rationis potest esse forum conscientiae, licet forum rationis ad facta etiam aliena extendi posit. Forum rationis etiam est forum internum §. 180, ad quod facta, officia, obligationes etiam internae pertinent. §. 181.

§. 183.

Forum rationis est forum iurisprudentiae §. 178 naturalis latius dictae, §. 76, 65. Hinc diuidi potest in **FORUM RATIONIS INTERNUM**, quod facta etiam interna secundum leges naturae, internas etiam, diiudicat, et **EXTERNUM**, quod sola facta externa secundum leges naturae cogentes s. stricte dictas solas diiudicat, et hoc est iurisprudentiae naturalis stricte dictae, §. 180, 79. Forum humanum stricte dictum potest esse forum rationis tam internum quam externum, potest tamen ad leges etiam non sine

sine fide cognoscendas extendi. §. 182.
Quoniam autem interna hominis nulla omnino ratione declarata per corpus si fuerint alteri homini, naturaliter alter homo cognoscere non potest. M. §. 469, facti interni, qua talis, cognitio in foro humano stricte dicto naturaliter impossibilis est, adeoque interna ad forum humanum stricte dictum et forum rationis externum non pertinent, §. 181, 182.

§. 184.

Forum humanum stricte dictum quum facta solum externa subsumere legibus valide possit, §. 183, aut ea legibus etiam internis et suadentibus subsumet, aut externis cogentibusque tantum valide subsumet. **Hoc est FORUM HUMANUM (soli) STRICTIUS DICTUM.** Hinc in foro naturali, s. rationis, humano strictius dicto non nisi cogentes leges naturales non nisi factis externis applicari possunt. §. 183.

§. 185.

FORUM DIUINUM (poli) dicitur 1) primario omniscientia diuina, quatenus omnium personarum, omniumque factorum, etiam intimorum, M. §. 869, **nexus omnem possibilem** M. §. 872, cum omnibus, quotquot sunt et esse possunt, legibus distinctissime, M. §. 889, hinc rectissime imputare potest, M. §. 901, 972. 2) secundario a) foro interna rationis et conscientiae, quatenus

tenus a) internis etiam, b) leges proprias diuinis vel naturales, vel positivas §. 100, applicantia ab omniscientia diuina proprius absunt, quam externa fora sola extera facta praesertim legibus tantum humanis subsumentia, b) omnia fora, quatenus ultimato a deo dependent, §. 180, M. §. 954. In significatu primario forum diuinum internum est. §. 180. Quumque deus 1) nexus et concursus omnium personarum morales, eos etiam, quos ipsi agentes ignorant, 2) libertatis nostrae statum et nexum quemuis cum quibusuis factis liberisque nostris determinationibus, eos etiam, quorum aut nunquam consci fuimus, aut oblieti sumus, 3) factorum omnium ea etiam, quorum vel non consci fuimus, vel oblieti sumus, 4) omnia sorundem consectaria moralia, ea etiam, quae vel non praeuidimus, vel nec postea deprehendimus, 5) leges ad ea applicandas omnes, eas etiam, quas vel nunquam cogitauimus, vel saltim cum factis nunquam comparauiimus, infinites melius nouerit et sciat, quam nosmet ipsi, et illae personae, de quarum factis quaeritur, possunt admodum multa nobis, et personis, de quarum factis quaeritur, imputari in foro diuino, quae nec ipsa quidem nostra nobis, et dictis personis sua, imputat conscientia. §. 182,

SECTIO

SECTIO XII.

FORUM EXTERNUM.

§. 186.

Fora interna §. 180 conscientiae rationis, §. 182, et diuinum §. 185. sunt decidendis obligationibus et officiis et laesionibus internis etiam, quae hinc ita dicuntur; competentia. §. 181. Fora autem externa §. 180, et humana strictius dicta §. 184, non nisi externis obligationibus, officiis, laesionibus competentia sunt. §. 92, 81. Nulla libera determinatio pertinet ad forum externum, quae non simul pertineret ad internum, sed multae spectant ad internum, quae non pertinent ad externum. §. 57, 85. Quo magis viget forum internum, hoc minus, quo magis languet forum internum, hoc magis necessarium est forum externum, §. 58. Si factum ad utrumque forum pertineat, aut fora videbuntur collidi, et illius imputatio recta est, cuius leges fortiores sunt, §. 85. aut conpirabunt, et coniungenda quidem sunt, sed non confundenda, distinguenda quidem, sed non separanda, §. 59. Idem valet de foris internis diuerxi generis, e. g. philosophiae moralis et theologiae reuelatae, et externis, e. g. naturali et ciuili. Iura stricte dicta sunt tantum fori externi, interni, etiam normae suasoriae, consilia, aptitudines

dines morales, non nisi minus pleni iuris. §. 180, 64. Hinc forum naturale externum et rationis externum non nisi ius naturae stricte dictum et cogens sequitur, §. 183, 65. Forum naturae s. rationis externum et internum non possunt unum idemque habere principium obiectuum domesticum primum adaequatum, §. 183, 89.

§. 187.

IGNORANTIA et **ERROR** **VINCIBILES** sunt, quam vel quem ita aliquis euitare poterat, ut non vitasse posse ipsi imputari in demeritum valide. Quam autem ignorantiam, quem errorem aliquis dictis modis euitare non poterat, **INVINCIBILES** sunt. Nam quum omnis ignorantia, et multo magis error, sit imperfectio, M. §. 515. quae vitare absolute, physice, moraliterque poteramus, sunt vincibilia in foro interno. §. 180, 39. Quemadmodum autem de ignorantia et errore internis prorsus non iudicat forum externum, §. 183, ita declarata etiam tunc demum vincibilia sunt in foro externo, si contra leges externas fuerint, aut externe aliquis obligatus fuerat ad ignorantiam vel errorem ea, talia, tanta vitanda. Ignorantia eorum, quae nosse externe non obligamus, error in iis, in quibus vera nosse non externe obligamus.

obligamur, in foro externo censenda sunt inuincibilia, §. 180.

§. 188.

Quum multa varia in facto possint attendenda esse foro interno, non tamen externo, e. g. mentalia, intentio disimulata omnino, clandestinae penitus causae impulsuiae, defectus prorsus occulti, et de quibus lex stricte dicta nulla quicquam determinat applicabilis, §. 183, 184, potest esse ignorantia et error facti in foro interno essentialis, in foro tamen externo qui sit extraessentialis, §. 128, praesertim gradus facti certus potest in foro interno momentum facti esse et quaestio essentialis, in externo tamen extraessentialis. §. 129. Hinc ne gradus pro ratione legis internae attendendi ab imputaturo secundum forum internum confundantur cum attendendis in foro externo pro ratione legis cogentis. §. 174, 180. Habes nōum exemplum cognitionis mathematicae forensis in rationibus fori interni et externi subtiliter nonnunquam, sed utiliter, distinguendorum, §. 130.

§. 189.

Quod videtur ineuitabile, de quo 1) illud esse factum externum 2) in quocunque statu EXTERNE i. e. per leges externas LICITO euitari potuisse 3) alter homo imputaturus non potest, saltim moraliter certus esse,

esse, id non recte imputatur ab hoc in foro externo. §. 131, 181. Quod videtur in fortunum, de quo 1) illud esse factum externum 2) legibus externis i. e. EXTERNE ILLICITUM 3) alter homo imputaturus ne moraliter quidem certus esse potest, illud non recte imputatur in foro externo, §. 132, 181. Quod videtur facti CONSECTARIUM PER ACCIDENS i. e. non necessario ex eodem fluens s. dependens, de quo 1) illud secundum leges externas praeuidendum dictis modis §. 133. fuisse 2) alter homo imputaturus ne moraliter quidem certus esse potest, illud in foro externo non recte imputatur, §. 133, 181.

§. 190.

Quae certo in statu (pro nunc et sic) supra vel extra potestatem alicuius posita sunt secundum quid, ita tamen, ut hanc impotentiam antegressi facti consectarium secundum leges externas praeuidendum dictis §. 133. modis fuisse alter homo imputaturus, moraliter saltim, certus esse possit, eorum omissio in foro etiam externo recte imputatur, §. 134, 181. Inevitabile secundum quid, cuius evitandi impotentiam esse consectarium certi status moralis, quod per leges etiam externas praeuidendum fuisse, alter homo imputaturus, moraliter saltim, certus esse potest, in foro etiam externo recte imputatur,

§. 135.

§. 135, 181. Quod aliquis praeuidere non potuit in certo statu, de quo statu alter homo impuraturus, saltim moraliter, certus esse potest, illum esse consectarium aliis status moralis, etiam per leges externas praeuidendum dictis §. 133. modis, illud in foro etiam externo recte potest imputari §. 136, 181.

§. 191.

Methodica imputatio legis in foro externo est PROCESSUS. Hinc processus tumultuarius implicat, M. §. 515. Processus ultima conclusio s. epifyllogismi imputatorii ab eo formata, qui valide et externe imputandi ius habet, est SENTENTIA (decisiua). Methodica collectio eorum, quae sententiac recte formanda a iureconsultis adhuc necessaria sunt, vel videntur, ACTA nominatur. Sententia (decisiua) non nisi auctis completis recte formari potest. §. 144. Quia vni homini rigorose etiam, multo magis moraliter, certum aliquid esse potest, quod tamen alteri, ne moraliter quidem, certum est, sententiam autem latus ipse, moraliter saltim, certus esse debeat, de eo, quod iudicat, §. 144: multa non solum vera, sed etiam huic illius rigorose, aut multo magis moraliter certa esse possunt, nondum tamen talia sententiam laturo si sint, secundum il-

130 C. II. S. XII. FORUM EXTERNUM.

la forum externum non potest recte imputare. Quum e contrario quaedam, etiam moraliter certa huic vel illi, e. g. sententiam laturo, tamen possunt esse falsa, et aliis quidem certae, saltim moraliter, falsitatis, §. 28. secundum quaedam falsa, immo de quorum falsitate alii conuicti forsan sunt, forum externum, tamen potest recte imputare. §. 137.

§. 192.

Nullae determinationes actionesue, quantumliberae, nulla earum antecedentia, concomitantia, consequentia, quantumliber possibilia certo auctori fuerint, nulla earum consectaria, quantumliber moralia, 1) quae adeo interna fuerint, ut alter homo de iisdem et dependentia eorundem a libertate alterius ne moraliter quidem certus esse possit, 2) de quibus leges externae et stricte dictae nihil determinant, s. quae non pertinent ad campum legum cogentium, §. 72, in foro externo imputabilia sunt, §. 191, 180.

§. 193.

Imputabilium secundum §. 147. quum multa sint 1) interna tantum, 2) quae ita possunt a libertate mediate et per indirectum pendere, ut possint etiam fortuita, vel intorunia esse, adeoque alter homo saepe ne moraliter quidem certus esse valeat,

leat, an sint in dato casu libera, nec ne,
 3) legibus stricte dictis non determinata,
 multorum non erunt in foro externo
 imputabilia, §. 192, quae sunt tamen in
 internis, §. 180, et euidens exemplum da-
 bunt explicaturis, quam necessaria sit re-
 ste imputaturis fororum distinctio. §. 186.
 Varia notentur in imputandis homini bru-
 torum actionibus, §. 149, et diiudicanda
 causa morali stricte dicta, §. 150. 157.

§. 194.

Si ad factum legibus externis subsumen-
 dum plures auctores concurrisse, et qui-
 dem, moraliter saltim, ad singula eius
 momenta imputaturus certus esse potest,
 moraliter saltim, non tamen potest, vel
 moraliter, certus fieri ad quoddam talis
 facti momentum aliquem horum auctorum
 minus cooperatum esse, recte his in foro
 externo factum imputatur pro indiuiso,
 §. 152, 191. Actiones inuitae per igno-
 rantiam vel errorem externe invincibilem
 §. 187, in foro externo imputari non pos-
 sunt, §. 158, 192. In foro externo quum
 non sit imputabile nisi 1) externum 2) le-
 gibus externis subsumendum 3) aliis ho-
 minibus, et quidem externe valideque im-
 putaturis, saltim moraliter, certum, §.
 191. patet, cur gradus imputabilitatis in
 eodem facto secundum forum internum et

externum admodum differre possint, ita etiam, ut in foro interno minus imputabile in externo aliquando magis imputabile sit, quam alia multo magis, quam hoc, imputabilia in foro interno, §. 159.

§. 195.

Difficultas in determinando imputabilitatis gradu, §. 162, hinc adhuc augetur in foro humano stricte et strictius dicto, quod factorum nostrorum facilior et certior per experientiam nobis esse potest cognitio, quam factorum alterius, vbi ad certitudinem aliquam acquirendam saepe noua connumeratio probabilitatis historicae, quo gradu fide digna sint testimonia, quantum ipsa res credibilis, requiritur, §. 184. Vnde quanta hic impartialitate, §. 148, rationis vsu, imperio in semet ipsum et libertate ab affectibus rectae imputationi noxiis opus sit, intelligi potest. §. 163, 188. **E**XCEPTIONES IN IURE dicuntur declarationes rationum, eur data quaedam imputatio fori externi in dato facto locum non habeat. Quae imputatio si alias vel moraliter saltim certa fuerit, vti debet recta, §. 144, exceptio non prius erit valida, §. 180. quam priorem imputationem saltim dubiam reddidit, §. 28.

§. 196.

Involuntarium quocunque vero signifi-

catu factum, de quo tamen 1) alter homo, valide illud imputaturus in foro externo, saltim moraliter certus esse potest, 2) illud esse contra leges externas, etiam si subsit tantum indirecte libertati, consequarium voluntarii status per leges externas praeuidendum, aut saltim illud pertinere ad campum legum stricte dictarum, §. 72, recte illud imputari potest in foro etiam externo. §. 165, 190. Sit demeritum conatus 1) ad cuius efficientiam solae præparations, etiam remotiores, iam sint contra leges externas, factae tamen, et ita, ut 2) moraliter saltim certus esse possit alter homo imputaturus illas factas esse cum intentione vel tacite, vel expresse declarata §. 103, patrandi demeritum, quod in conatu substitit, tale demeritum conatus etiam in foro externo recte imputari potest §. 165, 190.

§. 197.

Habitus officiorum externorum externarumque laesionum morales, si de iis vel tacite, vel expresse declaratis, alter homo imputaturus, saltim moraliter, certus esse potest, possunt etiam in foro externo recte imputari, §. 166. Talesque confuetudines et inde orta consuetudinaria, quia ex iis alter homo imputaturus moraliter certior fieri potest, de officiis vel laesioni-

bus externis crebrius exercitis, augent gradum imputabilitatis etiam in foro externo.
§. 166, 194.

§. 198.

Infirmitas humana, non absoluta solum, sed et talis secundum quid, quae tamen 1) **consecutarium certi status moralis per leges externas praeuvidendum vel omnino non est, vel eam talem esse 2) alter homo imputaturus ne moratur quidem certus esse potest**, in foro externo non est cum suis consecutariis ea semel posita ineuitabilibus imputabilis §. 189, 168. Declaratio rationum, cur aliquid omnino non sit imputabile in demeritum est **exculpatio**, cur datus ipsi gradus imputatiuitatis in demeritum denegandus sit, est **excusatio**. Erga exceptiones in significatu iuridico vel excusationes, vel saltim excusationes erunt, §. 195. Infirmitas humana, etiam talis secundum quid, aliquando non excusat solum in foro externo, sed etiam exculpat, nec raro excusat certe, quando exculpare omnino non potest. §. 168. Parratio fragilitatis humanae §. 198.

§. 199.

Forum externum infantium, minorenium, simplicium significatu malo, mente captorum, delirorum, furiosorum aetiones non prius imputabit, quam eas 1) libere

berè suscep^tas 2) alter homo imputaturus saltum moraliter, certus esse potest, et tunc 3) tales esse constet, quae ad campum legum externarum pertineant, §. 170, 194. De foro externo generatim probata §. 186-199. applicanda sunt omnia ad forum externum naturale rationis §. 183, 125. In quaestionibus iuris de lege est vna ex potioribus, an lex applicanda factio sit stricte dicta. §. 171, 180, ita, vt in foro externo, etiam rationis, applicare velle pro maioribus syllogismi imputatorii consilia et leges internas, quantumuis verissimas, sit error iuris, et essentialis quidem, §. 193, 173. Forum externum naturale est iurisperitiae scientiae prudentiaeque naturalis stricte dictae, §. 79, 183.

SECTIO XIII.

CONSCIENTIA.

§. 200.

Quum conscientia sit actus, vel facultas, vel habitus facta sibi imputandi, et his leges applicandi, §. 126. de imputatione quae dicta sunt generatim hucusque, valebunt etiam de conscientia. M. §. 154. Iam omnes quidem homines in liberis suis determinationibus sequuntur aliquam eorumdem notitiam, M. §. 665, et quidem in

in respectu ad perfectionem, M. §. 655, hinc moralitatis in iisdem, §. 36, et habitudinis ad legem, §. 82, sed obligatio naturalis eligendi semper optimi, §. 70. poscit: *optimam, quam potes, tuam semper conscientiam sequere i. e. 1) da operam perficiendae tuae, quantum potes, conscientiae, 2) optimae, quam nuncisci poteras, convenienter age.*

§. 201.

LEGES CONSCIENTIAE vel dicuntur, quas conscientia ad facta nostra applicare tenetur, scilicet obligantes conscientiam, et omnes leges internae externaeque tunc sunt etiam leges conscientiae, quae de factis nostris aliquid determinant, vel illae, ad quas seruandas non quidem aliunde, tamen per conscientiam obligamur, et tunc omnes leges internae sunt leges conscientiae, §. 182, vel tandem obligaciones nostras in conscientiam nostram docentes, quales §. 200, exhibitae. Quumque viribus suis usus ad cognitionem et actuationem mediorum alicuius rei perficiendae, eam curaret: cura (custodij) conscientiam tuam, quantum potes. Ne laedas conscientiam tuam, non solum agendo contra eam, quae tibi est optima, sed etiam omittendo promouendam perfectiōnem eius quamcumque, quam praestare potuisses. §. 92. Quo plures leges facta sua

sua determinaturas, quo plura facta sua his legibus subsumenda satis bene nouit, hoc est INSTRUCTION CONSCIENTIA, quo pauciores leges et facta eiusmodi satis bene nouit, hoc est RUDIOR. Instructior, caeteris paribus, perfectior est rudiior, M. §. 669. Ergo ne vel imprudens laedas conscientiam tuam, quando minime tibi videberis, eam instrue, quantum potes, §. 200.

§. 202.

Grauitati factorum aequales iis cum legibus comperandis vires adhibens CONSCIENTIA PROPORTIONALIS est, vel minores impeñdens, vel maiores, IMPROPORTIONALIS. Quumque grauioribus ad leges exigendis minus attendens, ac merentur, LEVIS, minoribus ultra possibilitatem moralem attendens MICROLOGICA (leptologica) dici posset: quaere conscientiam proportionalem, fuge non minus leuem, quam micrologicam, quantum potes, praesertim hanc simulatam (pharisaicam), ut inde concludant alii, quantis viribus ad examinanda sua facta grauiora vti soleat ostentator adeo difficilis iam in iis, quae videantur minutiae. S. 200, M. §. 669.

§. 203.

Quo exactius conscientia et leges, et facta,

Eta, et nexus eorum sister, hoc erit, caeteris paribus, perfectior. M. §. 515. Viuida legum factorumque repraesentatio perfectior est obscuriori, caetera si fuerint paria, M. §. 531. Hinc quantum potes, curaturus conscientiam tuam, non in rudi et crassa cognitione boni malive conquiescas, exactam potius eius cognitionem quaerens sine viuiditatis omnis in repraesentandis legibus vel factis contemtu, quia et in quantum distinete, adaequate, pure cognoscere ad conscientiae forum pertinentia non datur omnia. Ob eandem rationem conscientiae quaeras conuictionem, nec ideo tamen negligas, praesertim, vbi conuictio obtineri non potest, §. 202. persuasionem bono significatu, §. 201, 137.

§. 204.

Sicut omnis cognitio aliquo in gradu, licet infinite saepe paruo, mouens est, M. §. 669, 23, ita magis adhuc omnis cognitio conscientiae §. 200. Sed ea, quae reliquas perfectiones, §. 201 - 203. quantum eius fieri potest, naeta est, sit, oportet, etiam, quae fieri potest, ardentissima, M. §. 669. Vnde non solum rerum ad conscientiam pertinentium speculatio omnino, quantum obseruari potest, iners fugienda est, §. 201, sed etiam in insufficien- tibus ad agendum solicitationibus subsi-

stens, nec, nisi incomplete, mouens. Quaerenda est conscientiae, caeteroquin perfectae, quantum eius fieri potest, cognitio strictius viua, ad agendum sufficenter incendens, et complete mouens, M. §. 671. Sic ubi satisficeris legi conscientiae primae in enumeratis §. 200, per se sequetur, ut satisfiat secundae. M. §. 668.

§. 205.

CONSCIENTIA alias forsan non adeo imperfecta, sed adeo iners et languida, ut in lucta facultatis appetitiuae inferioris et superioris affectibus in oppositum ferentibus, appetitio eam sequens semper vincatur, ab aliquibus SERUA, adeo viua, ut appetitio eam sequens in tali casu vincat, aut omnino luctam vix obseruabilem sustinendam habeat, ab aliquibus LIBERA vocatur. M. §. 693, 730. Quaere conscientiam liberam erectae, fuge seruam abiectae indolis, quantum potes, §. 204. M. §. 732. Vberior legum conscientiae tractatio, §. 200. melius speciali disciplinae scientiaeue practicae relinquuntur §. 6.

INDEX.

AVCTORE

ANT. BERNH. THIELE.

	.
A	A.
Abnegatio	41
Aeta	191
Affio blande coacta	52
explicite permissa	68
meritoria	107
metu coacta	53
Actiones per se bonae	36
malae	36
Aetus obligatorius	22
Affirmativa obligatio	31
Age ex voluntate diuina	302
Ama optimum, quantum potest	48
Animaduersio	216
Anima legis	75
Antinomia	85
Aptitudo moralis	64
Applicatio	225
Arbitraria consestaria	38
Arbitrium caecum	89
prudens	89
Affensus	28

B.

Bona moralia immortalia	32
Bonorum sibi vere oppositorum praesta melius	84
Brabentica prudentia	112
Brabenticum ius	112

C.

Campus legis	72
Castigatio	116
Causae impulsionis partiales	19

INDEX.

Causae impulsuac potiores	32
Causa impulsua totalis	19
Certitudo completa	28
- incompleta	28
Certum moraliter	143
Circumstantiae improprie dictae	128
Coactio moralis externa	52
interna	52
Commissiones	32
Committe bonum, quantum potes.	70. 83
Committe, quod plurima maxima praemia spondeat	111
Competens forum	184
Compleatum ius	98
Conceptus determinationis moralis suffieenter determinatus	144
nondum suffieenter determinatus	144
Conclusio casu vera	173
Coniecturae	144
Conscientiae leges	202
Conscientia facti	126
improportionalis	202
infraior	202
legis	126
leptologica	202
leuis	202
libera	205
micrologica	202
proportionalis	202
rudior	201
serua	205
Consectaria arbitraria	33
facti moralia	133
naturalia	33
Consectarium facti per accidentem	189

INDEX.

Consentiens	155
Consequentia	78
Confilia	61
Consuetudinarium	166
Contemtus legum	83
Conuenienter naturae vivens	47
Convictio	137
Corpus delicti	128
Corrigi	116
Crescit obligatio	21
Crudeles poenae	124
Curare	201
Custodia legum	83
Custodire conscientiam	201
D.	
Declaratio	103
expressa	103
litteralis	103
tacita	103
verbalis	103
Decrescit obligatio	21
Delictum fortunae	132
Demerita conatus	165
Demeritum	115
Determinatio libera extorquenda	56
Directa obligatio	167
Directe moralia	167
Directo imputantur	167
Dominus	105
Dubium	28
E.	
Error facti	128
essentialis	128
extraessentialis	128
inuincibilis	187
legis	171
essentialis	171
	Error

INDEX.

Error legis extraessentialis	171
vincibilis	187
Eum in legibus positiuis sensum litterae, qui cum re-	
gulis nomotheticis optime conuenit, si verus	
fuerit, pro vero et genuino habe, donec con-	
stet contrarium	179
Exceptiones in iure	195
morales, quae possunt paucissimae mi-	
nimaeque sunt	86
Exculpatio	198
Excusatio	198
Extensio legis	78
Externa obligatio	56
Externe illicitum	189
licitum	189
obligantur	56
Extorquenda determinatio libera	56
F.	
Fac bonum	39
Fac, quod factu tibi optimum est	44
Facta externa	180
interna	180
Facti conseftaria moralia	133
confeftarium per accidens	189
Factum	128
imputatur diuifim	152
pro iadiuifo	152
Falsa obligatio nascitur	27
Felicitas externa	98
interna	98
Fortunae delictum	132
meritum	132
Fora incompetentia	181
Forum	180
competens	181
conscientiae	182
diuinum	185

INDEX.

Forum externum	180
humanum late dictum	182
stricte dictum	182
strictius dictum	184
internum	180
poli	185
rationis	182
externum	183
intervnum	183
Forum soli late dictum	182
strictius dictum	184
Fragilitas naturae humanae	169
G.	
Gratitum	108
H.	
Habitus directo morales	167
per indirectum morales	167
Hermeneutica generalior	177
generalis	177
saera	177
specialis	177
Honestas	94
externa	94
interna	94
Honestatem certo sine fide cognoscendam cole	94
Honeste viue	94
I.	
Ignorantia facti	128
essentialis	128
extraessentialis	128
invincibilis	187
legis	171
essentialis	171
extraessentialis	171
vincibilis	187
Imperans	105
Impe-	

INDEX.

Imperium	105
Improbabile	28
Improportionalis conscientia	202
Inaparatus	124
absoluta	124
relativa	124
Imputabilitas	125
facti	125
legis	125
Imputantur directo	167
per inditeturum	167
Imputatio facti	325
invalida	180
late dicta	125
legis	125
solida	137
stricte dicta facti	126
legis	126
superficiaria	137
valida	180
Imputatorius syllogismus	171
Incertitudo latius dicta	28
Incertum stricte dictum	28
Incompetentia fora	181
Indirecta obligatio	167
Inducitur noua obligatio	21
Inferior late dictus	105
stricte dictus	105
Infirmitas humana	168
Instruor conscientia	201
Interie obligatio	21
Internae obligationes	56
Interne obligamur	56
Interpres aequus esto	177
Involuntarium ortum ex voluntario habetur pro voluntario	165
Iura philosophica	73
Iura	73

INDEX.

Iura vniuersalia	73
Iureconsultus	76
<i>practicus</i>	76
<i>theoreticus</i>	76
Iurisperitia	76
<i>naturalis</i>	78
<i>late dicta</i>	79
<i>strictè dicta</i>	79
Iurisprudentia	76
<i>consultatoria</i>	78
<i>naturalis</i>	78
<i>late dicta</i>	79
<i>strictè dicta</i>	79
Iuris scientia	76
<i>naturalis</i>	78
<i>late dicta</i>	79
<i>strictè dicta</i>	79
Ius	64
<i>bracheticum</i>	312
<i>completum</i>	98
<i>divinum</i>	66. 67. 100
<i>humanum</i>	66. 67
<i>late dictum</i>	67
<i>mandati</i>	68
<i>naturae late dictum</i>	65
<i>latius dictum</i>	65
<i>strictè dictum</i>	65
<i>naturale</i>	67
<i>nomotheticum</i>	105
<i>particulare</i>	73
<i>posituum</i>	66. 67
<i>late dictum</i>	66
<i>strictè dictum</i>	66
<i>punitium</i>	125
<i>strictè dictum</i>	64. 67
<i>vniuersale</i>	73
<i>vctiti</i>	68
Laclio	

INDEX.

L.

Iaefio late dicta	83
Læsiones externæ	92
internæ	92
Latitudo legis	72
Legem ferre	100
seruat	83
Leges	62
caecæ	105
conscientiae	201
diuinæ	63
humanae	63
late dictæ	62
latissime dictæ	62
morales	60
naturales	63
oculatae	105
positiuae	63
diuinæ invariabiles	84
diuinæ variabiles	84
præceptiuae	68
prohibitiuae	68
Legi satistacit	63
Legislator late dictus	100
strictè dictus	105
Legis promulgatio	103
Leguleius	76
naturalis	78
Leptologica conscientia	202
Leuis conscientia	202
Lex diuina	100
implicite reuelata	104
naturalis deriuatiua	84
primitiua	84
particularis	72
perfectiua	84
permisiua	68
Lex	

INDEX.

Lex	strictē dicta	62
	<i>vniuersalis</i>	72
	<i>victrici cedere dicitur</i>	85
	<i>vincere dicitur</i>	85
Libera	conscientia	208
Lubricitas	naturae humanae	169
M.		
Mala	moralia immortalia	32
Mancipium		205
Mercenarius		107
Merces		107
Merita	consatus	165
Meritum		64
Meritum	fortunae	132
	<i>late dictum</i>	106
	<i>strictē dictum</i>	107
	<i>strictius dictum</i>	107
Meum		93
Micrologica	conscientia	202
Momenta	in facto	128
Moralitas		36. 82
	<i>obiectua</i>	36. 82
	<i>subiectua</i>	36. 82
Moraliter	certum	143
N.		
Nascitur	obligatio falsa	27
Naturae	conuenienter vivit	45
Natura	humana	34
Naturalis	obligatio	29
Negativa	obligatio	31
Neglectus	legum	33
Newinem	laedas	98
Nomothetica	prudentia	105
Nomotheticum	ius	105
Normae		60. 62
	<i>externae</i>	60
	<i>internae</i>	61
		Nor.

INDEX.

Normae morales	60
physicae latius dictae	60
Noua obligatio inducitur	21
O.	
Obligamur externe	56
Obligatio	10, 15
actiuia	10
affirmatiua	31
crescit	21
debilior	16
decrescit	21
divina	100
externa	56
falsa nascitur	27
interit	21
maior	23
minimia	17
naturalis	39
negatiua	31
Obligationes internae	56
Obligationi satisfacit	49
Obligatio partialis	19
particularis	49
passiuia	30
positiuia	29
rationalis	41
reuiuiscit	31
totalis	19
vniversalis	49
Obligatoriae propositiones	60
Obligatorius actus	22
Obseruantia legum	83
Officia externa	92
interna	92
Officium	83
Omissiones	31
Omitte laesiones sine fide certo cognoscendas	92

INDEX.

Omitte malum	83
quod plurimas maximas poenas minatur	120
te imperfectiores reddentia, quantum potes	43
Optimam, quam potes, tuam semper conscientiani sequere	200
Oritur noua obligatio	21
 P. 	
Peccatillum	117
Perfectionem quaere	43
Per indirectum imputantur moralia	167
Permissio stricte dicta	68
Persona	10
Persuasio bono significatu malo significatu	137
Philosophia	137
practica	1
prima	1
objectione spectata	65
Poenae crudeles	124
damni	124
sensus	124
Poena medicinalis	116
Poismata	90
Praesta bonum	84
sine fide certo cognoscendum	91
Principia adaequata	87
domestica	87
episodica	87
objectiona	87
peregrina	87
propaedentica	87
Principium arbitratium	87
deriuatium	87
objectionum	87
pragmaticum	90
primum	87

INDEX.

Principium subiectuum	87
Probabile	28
Processus	191
Prohibitiones	68
Promulgatio legis	103
Proportionalis conscientia	202
Propositiones obligatoriae	60
Prudentia brabeutica	112
nomothetica	305
punitiuia	121
Punitiuum ius	121

Q.

Quaere perfectionem	43
Quaerit perfectionem	43
Quaestiones facti	128
Quaestiones facti essentiales	128
extraessentiales	128
legis	171
essentiales	171
extraessentiales	171
Quantum potes	43

R.

Rabula	172
naturalis	172
Rationes legum historicae	77
legales	77
morales	77
Regulae	62
Res prorsus inenitabiles	131
Reuiuiscit obligatio	21
Rudior conscientia	201

S.

Sanctio poenalis	120
Satisfacit legi	63
obligationi	22
Sensus litterae	177
verus	177

INDEX.

Sententia	191
Serua conscientia.	205
Seruat legem	83
Seruus	105
Species facti	128
Sphaera legis	72
Subditus	205
Subjectio	105
Subsidia heuristicā	79
Superior late dictus	105
strictē dictus	105
Suum	93
alicui tribuitur negative	93
tribuitur positive	93
certo fine fide cognoscendum cuique tribue	93
cuique tribue	93
auris	93
morale	93
Syllogismus imputatorias	171
T.	
Tacite permitta	68
Territorium I. N. latius dicti analogi rationis	95
I. N. latius dicti cognitum	95
I. N. latius dicti incognitum	95
I. N. latius dicti rationalis probabilitatis	95
I. N. latius dicti rationis	95
I. N. latius dicti scientiae	95
Transgressio legis	83
Tribunal	180
Tuum	93
V.	
Valida imputatio	180
Veritas	28
Verus sensus	177
Violatio legis	83
Vitia subreptionis	113
Viae conuenienter naturae, quantum potes	46

Errata typographica.

In praef. circa finem pro: *cistra* l. *vitra*.

§. 19. lin. 2. *funt* deleatur

- 25. pro: *coneckere* l. *connectere*.

- 38. p. 17. lin. 2. pro: *ignorari* l. *alterutra*

- - - - 16. post: *arbitrium* l. *quorundam*

- 39. pro: *commitende* l. *committendo*.

- 44. pro: *Fac* l. *fac*.

- 63. lin. 2. post: *SATISFACIT* l. (*legem seruat*)

- - - 12. pro: *arbitrario* l. *arbitrio*.

- 71. pro: *meitando* l. *meditando*.

- 72. ab initio lin. 5. l. sed etiam

- 73. p. 37. lin. 2. pro: *cognosci* l. *sciri*.

- 74. pro: *aliquo, singula* l. *aliquo singula,*

- 83. pro: *LEGEM SERVAT* l. *legem seruat*, §. 63.

- 92. post: *minus plenae* claudatur parenthesis.

- 96. in fine citetur §. 95.

- 112. pro: *aesthetico practicis* l. *aestheticopracticis*.

- 124. pro: *longaminitas* l. *longanimitas*.

- 133. pro: *vlla* l. *nulla*.

- 137. pro: *superficaria* l. *superficiaria*.

- 141. p. 93. lin. 6. pro: *obligans* l. *obligatur*.

- 149. pro: *fuit* l. *fuerit*, pro: *poserant* l. *potuerint*.

- 165. pro: *plenorum* l. *plenarum*.

- 175. lin. 9. pro: *verum* l. *falsum*.

- 193. pro: *Varia* l. *Paria*.

- 202. pro: *Ceptological*. *leptologica*.



